


II



Natura  
suppe-  
ditat.

Ars mini-  
strat

Numē pro-  
sperat

Q[uo]d polunt  
munerare  
tur.

# EXERCITATIONVM

Super Medicarum,  
Disputatione quadam  
DE PESTE.

Liber Vnus.

Edente DAVIDE VERBEZIO  
Carno-Lubcano Phil. et Medicinar.  
Doct. et Reip. Ulmanor. Phy-  
sico Ordinario.

EXCVSVS  
Typis Christophori Kraus Chal-  
cographi Campodunensis.  
CICDCXVIII.

Frani  
Porti  
N. 499

KAROL  
BIBLIOTHECA  
LAIBACH

*EXERCITATIONUM*

3739. 39

15. *Deinde dicitur quod* *ad eum* *venientibus* *deinde* *ad eum* *venientibus*

... R. d'Urfé.

*...Mise Cuiuslibet sibi  
...fornicari. Cumque inveniatur  
...BISDECIMM.*



REVERENDISS.  
ILLVSTRBVS, GE-  
NEROSIS, NOBILIS.

S I M I S,  
INCLYTI DVCATVS CARNIOLÆ PRO-  
ceribus Dominis suis Clement.

DAVID VERBEZIVS  
dedicat, consecratquè.

**V**istro nomine inscribo præsentem  
ingenii mei fœtum, Reuerendissim.  
Illustres, Generosi, Nobilissimi  
Patriæ meæ STAVS, Proceres præpotentes  
ac excellentissimi! Patriæ enim quid  
non debemus, quæ primum nobis nascen-  
di locum dedit: quæ indoli suffragia, cor-  
pori adminicula, fortunis præsidia largissi-  
mè impertiuunt: quæ Parentes, quæ necessa-  
rios, quæ propinquos nostros maximis be-  
neficiis affecit? Hæc omnia inclyta Carnio-  
la, Vestris auspiciis, ductu atque authorita-  
te, mihi meisquè cumulatissimè præstijit.

Nulla itaque meum huncce conatum ne-  
que ostentatio ingenii, neque captatio eo-  
rum, quæ nonnulli velut vmbrae erraticæ  
volitantes, impensiūs consequantur, stimu-  
lauit: vna illa, quæ Patriæ est probanda, Pie-  
tas, quæ etiam in absente nunquam non gli-  
seit, ad edendum aliquod gratitudinis meæ  
specimen & dæyma, me impulsit. Evidem  
maluisse coram & præfens, omnem me-  
am operam, studium, & industriæ copolas  
impendens, gratum vobis facere: sed quod  
tempora ferunt, aut potius non ferunt, æ-  
quonos animo ferre decet. Accipite inte-  
rea, Reuerendiss. Illustres, Generosissimi &  
Optimi Proceres, ræ & cū hoc libero meo,  
qualicunque ingenii & peritiæ fructu, eti-  
am alterum liberum, filiolum dico hodie  
vnicum, Alexandrum nomine: accipite, in-  
quā, nos Vestro patrocinio, gratiâquè pro-  
sequendos, æternamquè propterea Vestri  
memoriam conseruaturos. Istuc equidem  
tum imprimis sensero, vbi etiam Fratres ac  
necessarios meos, qui apud Vos degunt, in  
posterum solitâ & solidâ Clementiâ & fa-  
uore fueritis complexi: in hoc verò si vñquā  
segnes fuerimus deprehensi, non erit, vbi  
vel

vel summi dedecoris (tale verò est merito-  
rum acceptorum obliuio:) notam nobis in-  
tri, pugnem. Valete Patriæ fulcra, commo-  
do ipsius quām diutissimè, atque hoc me-  
um literarum munus, dum splendidiora  
pro virili Vestro Honori adorno, in Aede  
Sacræ Mnemosynes apud Vos, locum ali-  
quem obtinere concedite. Dabam in Im-  
periali Ulma, prid. Calend. Martii Anno re-  
dempti orbis M D C X V I I.

103 AD BE-

# AD BENEVOLVM CANDIDVM QVE LE- CTOREM.

**E**quoque, quisquis es, Lector optime, cum appellan-  
dum censeo, tum informandum. Qui ingenii euul-  
gant fatus, publico euulgant, publicè audiri cupi-  
unt, iudicari, probari. Veruntamen postremum i-  
stuc non omnibus obtingit: & vereor, vt mibi: adeo Germania  
etiam nostrasuos Rhinocerotos alit! Ergo candorem Tuum ap-  
pello, Lector: prius scripti mei  $\omega\varphi\alpha\tau\pi$  percipias, quam id  
iudices, aut damnes. Pauculis abbinc annis Collegio nostro Me-  
dico  $\Phi\lambda\dot{\iota}\alpha\tau\pi$  quidam Disputationem banc ipsam Precepto-  
ris sui, quam pro Exercitationis Palestra mibi selectam vides,  
obtulit. Oberrat illa datatim & inspicitur avide. Percurrebam  
ego quoque, perfunctoriè tamen & propera ènōψei: suspiciebam  
locum, colebam, scriptorem, probabam conatum & susceptum  
scriptionis περιγραφα. Sed ecce ubi ipsam τὴν περιγραφειων, ad  
quam aliquanto curiosius pro more anhelabam, contemplari  
incepi: ibi que fortuitò occurrebant, ad honoratissima nostre  
Professionis theoremat a, atque infallibilia & επιτεροίς; pronū-  
siata, velut ad Lydium lapidem, aptanti, non potuit non ini-  
quiùs commoueri animus. Nulla enim penè Thesis erat (sic enim  
largo significatu etiam declamationis alicuius luculentam par-  
tem ultra quinquaginta versus continentem nūcupare licet.)  
que non vel falsam assertionem, vel inanem aut nugacem cido-  
 $\alpha\chi\iota\alpha\tau$ , vel manifestam contradictionem, haud dico spiraret;  
verum pleno quasi rectu non tantum non eiacularetur. Menda  
istac,

istec, ne vos què leuiter primùm ad marginem chartarum appositiis breuiculis lemmatis, notaueram: crassior aquæ σΦάληρα  
priuata diarēcēs & Discussioni destinaueram, non ignorantibus institutum amicis quibusdam meis, qui communis mecum absurditatum admiratione verberabantur: qui ipsi, ut fieri solet,  
tantum abest ut tacuerint, ut potius cùm de precipuis Disputationis erroribus, tum de eorundem operâs & ope nostra adornanda refutatione, prolixos passim seuerint sermones. Cumquè adeo neque modestia mea, neque periculum à Momis, neque occupatiōnes admodum frequentis πεδίως, cùm Urbanetum exteræ (id quod citra iactantiam dictum velim,) pro satis luculentis silentii causis, continuam illorum flagitationem compescere posset:  
nudat tandem opera negatione, retundere quotidianas illas expostulationes, apud animum constitui meum. Veruntamen, ubi hec talis verecundia mea inuercundè admodum à quamplurimis accipit & episset: atque suscepτa μελέτης cauta suppressio, desperationi alicui adscribi: nomenquè meum, ut qui ridendo conatu Herculem aggressus, primo statim accessu corruerim, caputquè parieti illidendo, more & fato hirci fabulosi, cerebrum mihi omne excusserim, passim improbè traduci: omnino fama etiam mea & existimationis rationem habendā esse duxi. Atq[ue] hoc quidem, qui erudelis esse in semet ipsum cupierit, negligendum forsitan duxerit: qui verò in commune commodum gravissime peccare erubuerit, is dubioprocul autem auerit plane necessarium fuisse. Credo etenim, post S.S.Theologiam non esse aliā Facultatem, quæ tot aduersitatum cum procellis luctetur, atque nostram illam. Et periti, ut haberi volunt, & imperiti non perfunctoriè illam persequuntur. Nam ut taceam agyrtas, sc̄plesarios, Apbrodisii montis cultores, carnifices, πιζόποις; etiam impios Theologastros; tum aniculas, clinicas, obstetrices & alias sub religiosa pietatis pretextu per mortes experimentantes: etiā Medicos ipsos frequentissime allucinando per acerbem

bè magnum illud Dei donum tractare, ipsique miserabiles pla-  
in Lege.  
gas infligere, vñu venit. Medici enim, vt Hippocrates noster  
scribit, nomine multi, re ipsa per pauci sunt. Nec minus hodie,  
lib. 1. de nat. quam Galeni tempore sunt homines, qui priusquam à bonis  
facult. c. 14. preceptoribus Philosophiam aut Medicinam didicerint, deinde  
C. Gemm. Cy longo tempore examinauerint, ac quid verum sit aut falsum in-  
clognomici lib. dicauerint, se, numerat à pecuniâ, qua pro cuiusque actus seu  
2. f. 145. promotionis formâ siue critelexia precipua nunc celebratur,  
Medicos ac Philosophos nominant; cum tamen nihil aut pa-  
Gal. lib. quod rum sciant. Hippocraticos sese appellant, nec tamen Hippocra-  
optim. Medicis libros legunt, neque, si id faciant, intelligunt qua dicuntur.  
sit Philos. Hinc plurimi quod eruditioni deest, adulatio compensant:  
Galen. de pra- ea dicunt & faciunt, quibus vulgigratiam incant: apud quem  
cog. ad Posth. non qui artem melius callet, sed qui adulari aptius nouit, in  
cap. 1. pretio est. Frigidam dant poscentibus, & niuem vinumque  
\* Gal. lib. 1. Metho. Me porrigunt; lauant iubentes, & quicquid iubetur mancipiorum  
den. cap. 1. ritu faciunt: quin etiam in conuiuis cum ministrant, tum scur-  
Gale. de pra- ras agunt. Mulierculis medicastris, que apud plebem multum  
cog. ad Posth. valent, sese insinuant: illarum acta & dicta probant, quod eis-  
cap. 1. dem sese reddant acceptiores: quarum præsidio freti, nihil est  
Galen. li 2. de simpli. medi. quod non ausint: superioribus palpantur, aliosque præ se conte-  
fac. cap. 13. mnunt, & sese magnificiunt. Ut ut vero id cautè fiat, & sub speci-  
o p. & textu, suo tamen tempore leuitas h. & & fraus emergit. Ha-  
plagæ tanto miserabiliores sunt, quanto atrocius accedit, se Do-  
Galen. de cib. Etorum publicè docentium factus, adolescentes recto iudicio non-  
bon. & mal. dum firmati in malos Preceptores incident; Magistrorum quos  
succ. cap. 1. lib. 2. de nat. tanquam Deos suspiciunt, facta & dicta emulantes, omnia in-  
fac. cap. 4. consideratæ ac temerè credunt, nec b. quidquam ab aliis didicisse  
alib. 6. Epid. curant: & insuper aliis atque aliis aduersissimis modis (ut sem-  
perf. 2. 25. persalsitas & preiudicium, & stupidus ille præposterusque Se-  
b. li. 1. de nat. Etarum cultus errorum & absurditatum cum plenus est, tum  
Fac. cap. 14. tenax) arti nostræ Mirabili & Magnæ, ac omnium artium  
Gal. lib. 1. de nobis

nobilissimæ, egrè facere non desinunt. Quasi verò leuiculum sit  
aut puerile, Corpus humanum, domicilium illud Anima, ho- d.d.c.7.Hipp.  
spiritis diuinissimi, imò S. Sancti habitaculum, corporeorum o- de arte.  
nnium méteor & regulam, aut contemplari, aut sicubi conti- Hipp. in lege.  
gerit, de statu illud suo deiici, curandum aggredi. Quà in  
πεγματία qui vel se temerarium præbuerit, vel confidentem  
nimis: qui item persuasione nescio cuius Magistralis, ut dicere  
solemus, aut Dictatoria eruditio, sua pronunciata rudio-  
ribus instillare sagerit, & peritioribus obtrudere non fuerit ve-  
ritus: ne frontem non modo omnem perfricuisse, sed & officii bo-  
ni Medici oblitus, non immerito videbitur. Hisce itaque excita-  
tus flabellis, profectò Viro bono, ( qui quidem πολλῶν ἀντεξει Hemerus.  
αὐλῶν non tam haberi quare esse optauerit ) susque deque non  
ferent, scriptum istuc meum εξετάσκων, sub incudem non-  
nihil renocatum, & hunc in modum collectum in publicum  
exire per. sis. Quo in scripto, dico cordatè, Veritatem, ( qua no- Scal. exerc. 3.  
stratis Philosophie anima est ) mihi legem, Salutem verò corporis  
Humani, scopum vnicum esse volui. Veritatem dixi legem vni-  
cam: quippe Auctoritatem in verba nescio cuius iurantem, vni-  
cè reuerenter habere, οὐδὲ διασκέψονται οὐδὲ τὴν μήνην τῆς  
ἀνθεῖας, & à iussu omnino pendere scituquè alieno, non à libe-  
rali ingenio, sed à Lanio forsitan Brisgoico requisiueris, aut ab  
alio aliquo alieni ingenii seruo. Quid enim turpius, quam ex o- Scal. exercit.  
nnium rerum domino, atque dictatore intellectu nostro, efficere 6. 4.  
mancipium alienæ libidinis? Hoc non facti auit noster Aristoteles, non Galenus, nec ex recentioribus Vesalius, Fernelius, Scali-  
ger, Ioubertus, Argenterius, Simonius, Platerus, Taurellus, alii  
nobiliore deluto effici. Postremùm addo & hoc, leuia primùm  
& tenuia quedam in hoc meo scripto videri; sed leuibus & tenui-  
bus huiscemodi speculatiunculis nihil grauius & solidius op-  
poni decuit: deinde non fuisse pauca Examinis mei capita, que  
accuratiūs & subtilius potuissent λεπτολογεῖσθαι, & de quibus  
)(:) pro-

propriam sententiam pronunciare potuisse, non tamen  
cum receptis facientem: verum pro gusto iste edidisse me, et  
hoc pacto Authorem ad disceptationem designatum inuitasse  
me, honorario quasi aliarum Diatribarum proœmio, forsitan  
sufficiat: cui Viro, tantum abest ut male cupiam, ut potius eun-  
dem venerer, et recipiam, si vel suarectius defenderit, vel nostra  
felicius destruxerit, herbam me illi, immo Laurum victoria ultero  
concessurum. Nam quod non doctrinæ gloria, non fumea digni-  
tashic uerius agatur, sed negotium arduum, ex dictis constare  
Tibi, Lector humanissime, nihil hesitans arbitror. Arbitrare  
censequè Tuetiam: quod ut possis, valere Te unice cupio.



IN ICONEM  
Nobilis Celebratiss. q. Viri, Davidis Verbezi,  
Caro. Lubeam, Phil. et Medic. Doctoris.  
et apud Vlmanos Physici Ordinarij.



VERBEZI frons hæc, unam trierida postquam  
Egerat, et septem lucis Olympiadæ.  
Cætera quære intus. testatur HYGEIA, fati  
Quæ nouit felis amplificare moras.  
Das olim Latij, Epidaurum, Asclepion oris:  
Dexter ita Vlmanis Carnus alumnus adest.

Bene merenti pos. M. I. B. Hebenstr. Scho. VI. R. ERT.



RAYMVNDI MIN-  
DERERI MEDICINAE DO-  
CTORIS, SERENISSIM. DVC.  
Bauariæ Consil. & Medic. ac Rei-  
publ. Augustanæ Physici  
iurati,

IN NOBILIS ET CLARISSIMI VIRI

D. DAVIDIS VERBE-  
ZII CARNO-LVBEANI, REI-  
PVBL. VLMENSIS PHY-  
sici ordinarii.

DOCTISSIMAS DE PESTE  
EXERCITATIONES,

EPIGRAMMA.

**F**IDA licet semper spacioſi machina Mundi  
Seruiat indigenis officiosā suis:  
Sæpè tamen Tellus, & fruges ferre nocentes  
Audet, & agricolis sæpè negare fidem.  
Sæpè furens totas vis Ignis diripit vrbes,  
Vndaquè fædifragis obruit arua vadis.  
Ipse parens Æther, quandoque iacentia terræ  
Regna, venenatis passibus altus obit.

Cuncta sed hæc certo pereunt in commoda fine:  
Vndas Terra bibt: vincitur Ignis Aquâ:  
Natiuum superant facta Amuleta Venenum:  
Fertilitas Sterilem post huma pensat humum.  
Nunc quod adhuc supereft, etiam VERBEZIUS audax  
Aëra sublimi prouolat ingenio.  
Disquirensquè vias naturæ, atque intima morbi,  
Monstrat in incertam Pharmaca certa Luem.  
DAVIDIBVS multum debemus, & huic & Hebræo,  
Abdita naturæ pandithic, ille Dei.

---

A L I V D.

VT tibi commissos medicari vidi Apollo  
Fasces, & sceptrum, latè dominarier herbis,  
Indignabundus folios surrexit, & omnem  
Imperii clavum, vel quò suæ cornu acerui,  
Dentibus infrendens, gemitu submisit, & infit:  
Hactenus ô Superi, supremâ sede sedebam  
Ut latos inter clausos pars maxima: summum  
In me consilium vitæ, regimenquè locatum,  
Mors & virus eram morbis, opifexqué per orbem,  
Herbarumquæ mihi subiecta potentia soli:  
Nunc SORS atquæ SALVS maiorem siflit in orbe  
MAIOREM Dominum, pessum mea gloria pressa est,  
Nunc agro Vlmeni major florescit Apollo,  
Nunc mea sceptra iacent, iacet heu mea magna potestas,  
Abiiciens hastam cursu illi lampada trado.  
Hinc eo, cur ierim, querenti dicite: maior  
Phœbus adest nostro, maiorem imponere sacra  
Pæonij Regni cathedræ Fortuna nequivuit.  
Sic tibi, VERBEZI, cessit successio regni.  
Haud ignoto loquor, liber hic de Peste dolatus,

(Qui

(Qui pluteum cedit, demorsos & sapit vngues;  
Quem prestolantes cupide, arripiemus auare: )  
Ingenium, & genius diuina dote decorus,  
Felicesq; manus, & nominis ornamentum,  
(Mome licet frendas!) satis attestantur abunde:  
Te comitatur honos, insignia, fama, triumphus.  
Omnibus auditur terris, & dicitur, Hic est,  
Vsu qui COVM vincit, magnumque GALENUM.

Collegæ honorando posuit

Gregorius Meindelius Philos. & Medic. D.P.L.  
Reipubl. Vlmens. Physicus.

---

A L I V D.

I verâ Pythagoræ senis sententia est,  
SVerbezius vel est Galenus, vel vice  
Versâ, Galenus olim erat Verbezius.  
Adeò sagaciter, quod est rectum, eruit:  
Adeò acriter curui confringit virgulam!  
Atqui Galenum hic ipse etiam Verbezius  
Vbi errat, obtundit veru censorio?  
Rectè est: vt obtineat Regina Veritas,  
Bonus vir antiquat propriam sententiam.

Collegæ & Fautorî honorando ponebat

Iohan. Henifius Phil. & Medic. D. P. L.  
Cæf. Reipubl. Vlmens. Physic. or-  
dinar.

AD

AD LECTOREM EVM, QVI IMMANE  
quantum opus maturari auebat.

**P**Ublicata stata est de te data litera, quantis  
Maturari animis deigmata nostra petas.  
Sic ne Machaonius tibi dormitauit Homerus?  
Siccine torpenti ferre celeuma paras?  
Ut neque in HENISII dubitaris vota ingati  
Irruere, & spissam rumpere letitiam?  
Macle animis! solido soluisti vincula somno:  
**V E R B E Z I** euigilant pressa sopore dia  
Robora. Sediuxta obserua quæ somnia stertens  
Viderit, atque Virisobria visanota.  
Vidit utroque oculo trepidantia pectora, & artus  
Cuiusdam. Quisnam est? Vidit & erubuit.  
Tale quidem Visum est: de Viso deigmata Nostri  
Perlege. Stertentem tam bene cire iuuet,

Gregorius de Fauentia R. equo astur-  
cone præteruectus fundebat.

EXER-



EXERCITATIONVM  
MEDICARVM SVPER  
**D**ISPVTATI-  
ONE QUADAM  
ACADEMICA  
DE  
P E S T E.  
LIB. VNVS.

EEERCIT. AD THES. I.

**H**IPPocrates Librū, quem καὶ ιησεῖον inscribit, ita exorditur; ἡ ὄμοια, ἡ ἀνόμοια εἰς δέχησιν ποτὲ μεγίστων, ποτὲ τρίτων, ποτὲ την πάντη πάντως γηγενείαν. ἀ καὶ idēin, καὶ θύγατρι, καὶ αὐθόου εἴσι. ἀ καὶ τῇ σύψῃ, καὶ τῇ αὐτῷ, καὶ τῇ ακεῇ, καὶ τῇ ρινί, καὶ τῇ γλώσῃ, καὶ τῇ νώμῃ εἴσι αἰδεῖσι. ἀ καὶ οἱς γηγενείαις πάντη εἴσι γηγενεῖαι. Quā sententia, à Gal. in comm. & li. i. progn. 5. & li. 9. de plac. Hipp. & Plat. cap. 1. & alibi repetita, venerandus Senex idem statuit, quod post ipsum Aristoteles: à notioribus nempe nobis, ad nitionis ea quae sunt minus nota progrediendum esse: ab his ni- Modus cog- nostræ,

A mirum,

mirū, quæ à sensib. ad intellectū gradum faciunt. Certū  
 namq; est, & cùm rationib. experientiā cōmunitis, tūm  
 Arist. authoritate comprobatum, omnem hominum  
 cognitionem oriri ex sensibus, qui rationis anteambula-  
 lones sunt & ministri, exploratoribus similes, captā-  
 tes & cognoscentes singularia, quæ postea rationi cō-  
 municant. Hæc Sensilia, quia in Sensus incurunt,  
 Sensibusq; apparent, φανόμενα à Græcis appellantur,  
 à Medicis Signa: quia scil. notiora sunt, & pere a duci-  
 mur in earum, quarum signa sunt, rerū cognitionem.  
 Nisi n. notiora essent, non vocarentur Signa, ut Iacob  
 Zab.li.1. post anal.ca.57. docet. Hæc vt nec semper, nec so-  
 lū Effectus sunt rerum, verū earundem interdum  
 etiam Causæ: ita quoque Propria esse rerū πάθη nō pos-  
 sunt. Propria namq; πάθη sunt quippiam internum, du-  
 rāvies nempe quædam, & actus primi rerum, quibus  
 hæ pati aut agere aliquid propriè dicuntur, & proxi-  
 mè absunt à substantiis, & quodammodo οὐσίαι quip-  
 piā existunt: ὄμοιον quippe, καὶ σύγχρονα, καὶ αὐτάρχου; nec  
 sensibus manifesta sunt, sed ratione deprehendun-  
 tur, & propterea nō φανόμενa, sed ἀποδεῖξεν θεωρητæ sunt.  
 Effectus verò quod attinet, et si hi cum sub sensus veni-  
 unt, notiores sunt suis causis, quæ plerumq; abditæ sūt,  
 & sensus nostros latent; vniuersale tamen id non est.  
 Sepissimè n. Effectus suis causis occultiores esse, & hinc  
 huiusmodi causas in cognitionē effectuū, quorū causæ  
 sunt, nos ducere, ac propterea ut effectus causarū, ita  
 causas interdum vicissim effectuū Signa esse, in Medi-  
 cina pariter ac Philosophia (ne quid de alijs artib. dicā  
 ac sciētijs) tām est notū, quām quod notissimū, & vna-  
 nimi Philosophantiū Medicorum, ipsius etiam Dispu-  
 tato-

Sensuum  
officium.

Obiecta  
sensum  
cur signa?

Signa non  
sunt propria  
πάθη.

Effectus cau-  
sis obscurio-  
res.

tatoris, in alia quadam antetriginta circiter annos habita Disputatione, consensu approbatum. Non enim praesentes modò morbos, eorundem què motus & cōditiones Medicis ex causis cùm externis tūm internis venantur: sed etiam futuros praevident, ac propterea eosdē sæpè præcauent. Fieri namq; non est impossibile, ut scribit Gal. com. 3. de hum. tex. 20. vt quis habita ratione temporū, & eorum cognita mutatione, possit futuros morbos prædicere: quemadmodū Hippocratem fecisse nouimus, cùm alijs plurimis in locis, tūm præcipue lib. 3. de Diat. par. secundum Zwing. 134. vbi ex cibo & laborib. futuros seu subsecuturos morbos præcognosci docet. Cùm enim videamus, ut Gal. in li. 1. Epid. f. 1. tex. 1. scribit, quid in corpus humanum calor possit aëris, quid item frigus, siccitas & humiditas: videamus item ipsam patientem materiā, qualis sit: futuros morbos inuenire & sagacimentis collectione præsentire iam per facile est. Sic cùm præsentium morborū natura recōdita est, eamq; arte elicere volumus: cogimur discursionis simplicis filo causas etiam eiusdē affectionesq; considerare: accuratam in illis seriem connexumq; & conspirationē mutuam: naturæ item totius promptitudinem, temperamentum, partiū conformatiōnem ad hanc vel illam affectionis speciem preferendā procluem, peruestigare. Quòd si & horum ratio maximè perobscura est, ad capita quædam priora ordine, ad causas ~~ωρηγενέας~~ & externas velut filo cōtinuo ducimur. Sic n. ex plorandi Temperamenti gratia vel morbificæ causæ, consideramus res extrinsecas, anni tempora, & peculiares ~~καταστάσεων~~ differentias: item locorum discrimina, rationem victus præcedentis, somni, vigiliæ, labo-

Morborum  
inuestigatio

*Fit etiam per  
externa.*

ris, ocij, perturbationum animi, retentionis, excretionis, atque his similium. Hoc actitavit Hippocrates, qui *li. i. Epid. s. 3. p. 1.* οὐ μέγα λόγος πρὸς τὸν πόνον pro dignoscēdis morbis sum sit ex aér is conditione, & regionis cuiusque, ex consuetudine, victus ratione, vitæ genere, &c. Et *Gal. li. 4. Meth. Med. c. 3.* ad illorū affectuum cognitionem, qui omnino tūm rationem, tūm sensum latet, externarum causarum considerationem vtilē esse, ac nos ad earum inquisitionem sāpē cogi: & *1. aph. 12.* lice re ex aér is ambientis temperatura de morborum es sentia cognitionem sumere, scribit. Imò non morbos modò, sed & morborum motus, tempora & euentus, ex causis tām externis quām internis, iuxta Hippocratis & Galeni doctrinam *li. 1. aph. 12.* & *li. 3. aph. 1. 4. 8.* & alio plurimis locis scrutamur. Et Hippocrates pro ineunda legitime purgatione, & καλῶς excludenda morbifica materia *1. aph. 2.* iubet dispicere χάρων τὴν ὥσπερ, id est, regionem & tempus. Ad ωρὰν referuntur μετάλλαι μεταλλαγῆ, insigne mutationes aér is, quæ in singula anni tempora incident: de quibus Hippocrates *lib. 3. aph. 1. 11.* & seqq. scribit, eas morbos parere. Sic *Gal. in 1. prorrh. 10. ex* humoribus morbificis statum morbi inquirit. Ex aér is φαινομένοις Hippocrates iudicat de morborum duratiōne ac æuo: tardat enim hyems morbos: æstas maturat: hinc æstiuas quartanas breues; autumnales autē, maximè quæ hyemem attingunt, longas pronunciat. *2. aph. 25.* & *Gal. 1. aph. 12.* Et ex delictis ægrorum, mitiorū morborum prolongatio; in acutis verò mortis acceleratio cognoscitur. Nec in Medicina solū id quod de Signo Causæ diximus, sed etiā in Philosophia locū habet. Quicquid enim ita notum est, ut aliud significet,

Aér is consti  
tutio.

Signa cause  
etiam Philo  
sophus vena  
tur.

alte-

alterius est Signum; huiusmodi s̄epissimè sunt Causæ, quibus perceptis effectuum cognitio affertur, si non a liâ, hactamen ratione, quia experientiâ deprehensum est, ex tali causa oriri talem effectum; vel quia comprehensâ perfectè causâ, necesse est, eius virtutem cogitatione circumscribi, eiusquè effectum inde processum à nobis apprehendi. Huiusmodi Signa à Scholasticis Practica; & à Thoma Aquinate Efficacia dicuntur: quia non modò significant rem; sed eam etiam causantur; à qua præstantiori forma ut plurimum dominantur. Huiusmodi Signa Efficientia apud Astrologos sunt frequentissima: quorum occursu defuturis aëris mutationibus, frugum prouentu & alijs iudicant. Nec Astrologi modò, sed etiam, *ut Gal. in proem. lib. 1. prorr. testatur*, nauium rectores atque rustici, imbræ, siccitates, frigora, æstus, ventos & ventorū tranquillitates quibusdam ex signis præsentiantur, atque interdum quidem tūm exacte, tūm certò, interdum & ad probabilem usque expectationem.

### Quām sunt Subiecta.

**Q** Via omnis nostra cognitio, uti diximus, ex sensib⁹bus est, ideo φαινόμενα cùm sensibus nostris primum obiectiuntur, prius quoq; nobis nota sunt, quām subiecta quibus inhærent, aut causæ, à quibus oriuntur. Quod autē n̄ idia n̄ dñi nobis quoq; notiora sint, quām Subiecta ipsorum, veritati non est consonū. Quæ quia peculiarem considerationem requirunt, & analyticæ sunt πειρωτικαὶ διατελεῖς: ideoquæ de ijs in præsentia copiosius differere supersedebimus.

## Non ex prioribus naturali ordine.

*Principia  
priora.*

*Principia  
notiora.*

*Doctoris re-  
quisita.*

**A**Δολεξία hæc est inanis: Ex prioribus naturali ordine. Ne principijs perscrutari ignota nobis principia. Quæ illa sunt priora principia? Quæ naturali ordine, hoc est, naturâ, τῆ φύσις, priora & notiora sunt: ea scilicet quæ cæteris causæ sunt τὸ ξένων, τὸ ξένων γνώσησμα. Quæ illa ignota nobis principia? Sunt iterum illa ipsa, quæ τῆ φύσις notiora dicuntur, & ob id ημῖν minus nota. Nec per illa nobis ignota principia, Effecta causarum inteligit; quemadmodum ex contextus serie quispiam nō præter rationem cōiecturare posset: hæc enim aut Rei aut Cognitionis essent principia. Non primomodo: si quidem effectuum natura id non admittit: ut pote quæ non principia sunt, sed potius principiata, vel à suis principijs orta. Nec etiam modo posteriori: si quidem hæc principia, de quibus loquitur, scribit ημῖν nobis esse ignota: effectus autem cognitioni nostræ, simpliciter prioribus, prius occurrere.

M. Antonius Muretus duo in Doctore requirit: primum est, vt ea quæ docet veritati sint consentanea, & ὀμέται illius disciplinæ in qua versatur: secundum, vt doceat perspicuè, ordine & sermone ad res enodadas ac enucleandas accommodato, hoc est verbis proprijs, significantibus, & ab eorum qui purè & emendatè loquuntur consuetudine non abhorrentibus. Et noster Gal.li.2.Metb.Med.c.1.scribit: quia alterum docere vult, quæ ipse tenet, huic prorsus nominibus propter res uti est opus: in quorum usu Claritas, quasi meta spectanda est: nam qui sic nominare quæque studet, vt qui discit clarissime intelligat, is optimus Præceptor fuerit. Hæc si in

Si in Disputatione sua Disputator, qui docendi munere fungitur, obseruat: lectorēs non haberent de quo cōquererentur: nec ἀκυρολογία frequentes & affectatæ, lectorem vbiique suspensum tenerent, aut quis dictorum sit sensus, diuinare cogerent.

## Pestis Symptomata omnibus nota.

**F**Acies horrida & cadaverosa, sudor frigidus ac fætens, crebræ animi defectiones, tristitia, lassitudo, iactatio & similia Symptomata, quorum confusum & permisť dispersum, nec descriptum & electum Catalogum, sequentes nobis exhibebunt theses, quidem sunt sensibus nostris occurrentia: quod autem hæc Pestis Symptomata sint, ac propria accidentia, non omnibus notum est: siquidem id non sensu, sed ratione cognoscitur ac dijudicatur. Imò contrarium peritis notum est: hæc nempe non propria Pestis, sed cōmunia alijs etiam esse morbis: & sàpissimè à Peste absesse, nec eandem semper comitari: id quod in Examene sequentium Thesum manifestum fiet.

## Proprii cuiusdam accidentis hominis.

**M**Irè sibi placet Disputator, per totā Disputationē suam, toties crepitādo Propria māgī, & propria accidentia: ita quidē, vt non erubescat, nec vereatur, Pestem proprium accidens Hominis, & proprium accidens Cordis, Signa Pathognomonica propria māgī, Curationem itē proprium accidens Pestis, indigitare. At quam bene & quam Philosophicè, judicent ac pronuncient iij, qui sunt Philosophi.

Ad-

*Proprium  
πάθος  
quid Medi-  
cis, quid item  
Philosophis.*

Admonendi h̄ic sunt studiosi lectores, in quorū gra-  
tiam h̄æc scribimus, id est πάθος aliud apud Philosophos  
significare, & aliud apud Medicos. Apud Philosophos  
est propria affectio, seu δύναμις quædam, quæ suo ver-  
naculo seu οὐρανῷ subiecto omni, soli & semper inest,  
nec sine eo definiri potest. Medici verò, ut Gal.li.1.de loc.  
aff.c.6. per Proprium πάθος intelligunt Propriū mor-  
bum, qui permanet in parte quapiam Gal.li.2. de loc. aff.  
c.9, & distinguitur à morbo per αρπαγήα, seu per δυ-  
νατότητα, & ab aliis Primarius vocatur.

## EXERCITAT. AD THESS. II.

*Vocum de-  
claratio cur-  
iosa.*

**E**TIAM si nōminum significata probè distingue-  
re, exile quippiam videatur: siquidem non ex  
nominum exquisita impositione, sed rerum re-  
cta opinione, & administratis legitimè remedi-  
is ægrossalus paritur: *Galen.lib.1.Meth.Med.a.7. & lib.2.cap.*  
*7. & lib.6.cap.1.* & affectibus ipsis, non eorum appellati-  
onibus, velut λογίατος quidam, medemur: *Galen.lib.de*  
*tumor.p.n.c.3.* & propterea non Galenus modò pluribus  
in locis, sed etiam Plato in Theateto, immodicam &  
nimis curiosam verborum exquisitionem tanquam  
inutilem & illiberalē vituperant: eo quod qui in vo-  
culis ponderandis nimium morose hærent, plerumq;  
res ipsas & veritatem negligunt: simulquè vt plurimū  
sunt Πριμέλδα τὸν οὐρανόν, & ἀμέλδα τὴν περιγραφὰν καὶ τὸν  
ἀληθεῖαν: Nihilominus, quando non ægris medetur, aut  
circa eorundem curationem occupatus est Medicus,  
sed cùm alios ea quæ nouit docere aggreditur, tunc de  
No-

Nominibus necessariò solicitus esse debet. Cùm n. hæc inuoluera sint rerum, sine quibus percipi aut tradi res non possunt: sed quæ volumus necessariò nominib. interpretamur: ideo non propter Sophistarum modò calumnias, *Gal.li.1.de diff. feb.c.1.* sed etiam ob rerum ipsarum cognitionē, ad quam nominum significata probè distinguere maximum momentum & facultatē habet, *Gal.li.3.de simpl.med.fac.c.12.* propriā & perspicua vti oratione debet: id quod Galen. cùm alijs plurimis locis, tūm, vt suprà etiam monuimus, *li.2.Meth. Med.c.1.* in optimo Præceptore requirit. Hanc ob causam non inuiti Disputatorem de nomine ac vocabulo Pestis disserentem, audiemus. Is primò Pestis vocabulum æquiuocū seu ὄμωνυμον esse statuit. Nos nō latet, ea quæ τὸς οὐγίαν πνὰ φύσιν dicuntur, ab Aristotele *li. predicam.c.2.* οὐ dicuntur, & Porphyrio in *Isago.c.2.p.32.* ὄμωνυμα seu æquiuoca, sed la-*vtrum* sint tuis & impropriè accepto vocabulo, vocari. In Meta-*ὄμωνυμα*? physicis verò *libro sc.4.c.2.tex.2.* & *lib.7.c.4.* vbi exquisitè magis ea de retractat Philosophus, media illa est: doceat inter Συνάντησιν & ὄμωνυμα: ita n. *li.4.* scribit: Ens multis modis dicitur, sed τὸς οὐγίαν πνὰ φύσιν καὶ τὸς μίαν δέχην, & οὐ ωνυμίας. Et *lib.7.* hæc habet: Rationi cōsentaneum est, vt accidētia neq; ωνυμίας dicātur Entia, neq; οὐντως seu ωνυμίας, sed vt Medicū, q; τὸς αὐτὸν καὶ οὐ refe- ratur, nec sit vnū & idē, nec verò ωνυμίας dicatur: cor- pus n. & opus, & vas, neq; ωνυμίας, neq; καθ' οὐ seu οὐνυμίας, sed τὸς οὐ Medicā dicuntur. Eadē Arist. *lib.11. Met. c.3.* repetit, ratione additā, quam etiā *lib.4.c.2.* legimus, quòd nimirū τὰ τὸς οὐ ad vnam scientiam pertineant, æquiuoca verò ad scientias diuersas. Hui rationi nos addimus alteram ex Homonymorum natura petitā:

quæ ita dicuntur & sunt, quorum nomen solum est  
commune, ad illud vero nomen accommodata defi-  
nitio est diversa. Aristot.in prædicam.cap.i.p.1. At & τοις  
& nomen & genus habent commune: cuius tamen  
ratio vni competit potissimum, primò & simpliciter,  
alijs vero non pariter, sed secundariò & modo quodā,  
siquidem diuersimodè id genus participant. Ex dictis  
sequitur, etiamsi inter significata Pestis, quædam, non  
omnia, τοις εν καὶ μίαν θύμον dicantur & intelligan-  
tur: veluti ἀργοφθορά, ut loquitur Galenus lib.de Theriac.  
ad Pamphil. seu aëreum venenum, vel ἀργοφθορά,  
iuxta Philonem Iudeum lib.de mundo: Morbus ab eo illatus:  
nec non Bubo & Carbunculus morbi comites: Febris  
item propriè Pestilens vocata: hæc tamen propterea  
Homonyma vel æquivoca non esse aut dici; sed inter  
hæc & Synonyma media, omnium Philosophorum  
consensu, communem quandam naturā participare;  
venenatam nempe seu Pestilentem malignitatē, quæ  
vni eorum, nempe secundum L. Ioubertum lib. de Peſte  
cap.1. aereo veneno, quod ipsi totius negotij præcipua  
pars est & cæterorum causa; secundum Disputatorem  
vero & receptam opinionem, Morbo à Pestilenti ve-  
neno illato, περιττός καὶ απλός competit; reliquis vero cō-  
sequenter & aliquo modo, quatenus videl. ad princi-  
pale illud referuntur, & illud participant. Atq; hic pri-  
mus esthuius Positionis error: quem, ne solitariè de-  
gat, levigatio alter excipit. Omnia pernicioſa, quæ  
vulgo appellantur Pestis, τοις εν καὶ μίαν Φύσιν sic dici, aut  
intelligi, est valde ἀνον, imò falsoſſimum. Cūm enim  
ſeditiosi cives, aut mali Cōſules, Rerum publicarū; Cic.  
pro Syll. adulatores, juventutis; Teren. in Adel. Milites, Im-  
perij;

perij; *Livius* li. 2. Venti, frugum, *Hor. 3. Carm. Od. 23.* Pestes dicuntur: cùm item S. Paulus *Act. 24. v. 5.* à Tertullo corá Felice appellatur λοιμὸς: & Deus seipsum Inferni Pestem nominat, *Osee c. 13. v. 14.* Tropicā & Metaphoricam esse locutionē, nemini ignotū est; quæ cum Logico illo cōceptu commisceri, aut cōfundi nullo jure potest.

Spectamus n. in translationib. vocē vnam, & duas aut *Metaphora* plures res: quarum μία Φύσις non est, sed sola ὁμοιότης, modis. quam inter se habent: nec subjecta sunt vnius, sed diversarū scientiarum. Morbus siquidē Medicinæ, seditionis Civis Politicæ, adulator Ethicæ est consideratio-  
nis. Nec agnoscitur hic τὸ καὶ ἀερόν καὶ δύναμον, principali-  
ter & minus principaliter: sed propriè & impropriè:  
ut Pestis propriè de Morbo dicitur, impropriè verò de  
Cive seditione: non de illo principaliter, & καὶ ἀερόν,  
de hoc minus principaliter, & καὶ δύναμον. Tertius error  
est in sequentibus verbis:

**Pestis vox præcipue Pestem morbum: aut etiam febrim pestilentem & malignam significat.**

**D**E Peste morbo suprà innuimus, nos non repugna-  
re, quin πέντες καὶ αὐλῶς Pestis appelletur: ac con-  
sequenter Pestis de Morbo οὐωνύμως, de Causa verò ac  
Symptomatib. πέντες εἰ dicatur. Negamus a. eandē Fe-  
bris pestilentis ac malignæ, quam Pestis esse rationem:  
& Pestilentem Febrem duplē agnoscimus: Cum, & *Pestilens fe-*  
sine Peste. Quæ cum Peste est, Pestem ut plurimum, *bris duplex.*  
non tamen necessariò, comitatur: & propriè quidē, nō  
tamē præcipue ac primò, verū πέντες εἰ Pestis appellatur.

Quæ verò sine Peste accidit Febris pestilens, ob similitudinem quandam perniciei ac Symptomatum, id est quidem ac priuatim Pestilens appellatur à Galeno lib. 3. Epidem. sect. 3. text. 57. non tamen propterea Pestis de eadem συνωνύμως aut ὁμονύμως, sed παρωνύμως tantum prædicatur: alias sequeretur Pestem sine Peste esse; quod est ατοπον. Ad Malignas Febres quod attinet, etiamsi Pestilentes quæ sunt, simul etiam sunt malignæ, imò malignissimæ: malignas tamen simpliciter sic dictas, quæ nempe extra Pestem vel sine Peste sunt, nemo unquam Pestem, siue πεντώς siue δευτέρως ή τρίτης εν appellaverit. Imò plurimæ malignæ sunt, quæ ne quidem Pestilentes, multò minus Pestes dici merentur: quemadmodum sunt quæ superuenientia praua habent Symptoma, aut signa prauæ cruditatis: ut si in febre intermissionis experte, extrema sint frigida: si in accessione æger decumbere nequeat: si difficulter spiret: si lotia, si sputa, si alui excrementa sint vel liuida vel nigra, alteriusuè proui coloris: consimiliaquè alia praua adsint accidentia: talis febris dicitur Cacoethes: quemadmodum etiam, quæ nonnullas viscerum, Hepatis videlicet, Ventriculi, Diaphragmatis &c. inflammationes comitantur, ut Hippocrates & Galenus 2. prærhet. 20. docent. Notare hic φιλίατροι debent, noxium nō vulgi modò, sed & quorundam Medicinam facientiū errorem: qui cùm aliquem vident Febre mali moris laborare, quæ curationi adhibitæ reluctatur, eam statim Pestilentem esse clamitant. Grauius ij errant, qui omnem febrim continuam, siti, dolore capitis, ac interdum delirio comitatam, malignantem aut Vngaricam esse febrim dicitant: & spreta legitima curandi ratione

Febris  
malignans

non omnis  
Pestilens.

one, ad antidota nescio quæ configiunt; & sic miseros  
ægros pessimum dant. Ethæc de secunda Disputationis  
thesi.

## EXERCITAT. AD T H E S. III.

**A** Absolutis ijs & quasi prælibatis, quæ ad Pestis,  
pertinent, nunc ad Signa seu Φαινόμενα  
Pestis accedit Disputator, & in thesi hactertia,  
Propria, non aliiis morbis communia Pestis.  
Signa, quibus ipsa conspicua fit, proponit:  
quæque Pestem Paribus semper vestigijs in-  
sequuntur: nec aliunde eidem, vel ex corpo-  
ris constitutione, vel humorum conditio-  
ne, vel aliorum morborum aut partium  
consensu superuenire, vel accidere, scribit.  
Hæc, quia Morbus eorum per se causa est, à Galeno  
Morborum propria, Com. 2. de humor. text. 1. & Acciden-  
tia Propria; li. 1. de Crisib. ca. 5. & quia affectum indicant,  
vbique appellantur: quæ vnâ cum mor-  
bo inuadunt, & vnâ desinunt: Gal. 1. aph. 12. & lib. 1. de Cri-  
sib. c. 5. Auicenn. li. 1. fen. 2. doct. 3. c. 1. Inseparabilia namque  
sunt: Gal. 3. in 3. Epidem. 34. & necessè est, vt eis alterum è  
duobus insit, nempe, vt vel perpetuò vel solis contin-  
gant: cùm enim neque solis insunt, neque perpetuò,  
Propria morborū nō sunt. Gal. 1. prorr. 4. Videamus nūc  
quid de huiusmodi Pathognomonicis Signis γενικῶς ha-  
beat Thesis præsens. Primum iustum animaduersione

non effugit Disputator, dum in præcedente Thesi tribus morbis Pestis vocem præcipue attribui, Pestividelicet, Febri pestilenti, & Febri malignæ, asserit: in hac verò Pestis Præcipue ita dictæ propria Symptoma recenset, nec de quonam ex illis tribus morbo, ipsi sermo sit prius indicat: quod ipsum facere debuisse, cuiusvis facile patet. Secundò mirari subit, quâ frôte Disputator in publico auditorio affirmare ausus sit, propria & Pathognomonica Pestis accidentia esse notissima, imò vulgum suis communibus signis Pestē agnoscere facile. Quâ in parte Disputator ignobili vulgo multò infelicior est, cui Pestis sunt Signa huiusmodi, ex quibus non facile, sed ægrè, ac cum difficultate eandē quispiam agnoscat: in quibus tanta est confusio Pathognomonicorū, πνεῳρευόντων, θηγενομένων & θηφανούσιν signorum, ut vix ad certa genera reduci queant. Quòd si Pestis signa sunt notissima, atq; ita nota, ut etiā vulgus ex ijs Pestis correptum facile agnoscat: ad quid hac disquisitione & laboriosa signorum consarcinatio fuit opus? Quæ n. vniuersi inquit Gal. i. prorrhet. 2. vel non scripta norunt, ea frustrà temere quæ scribūtur, nisi quis vel chartas vel tempus perdere voluerit.

*Pestis cognitio difficilis.* Nos certè falsitatem huius dogmatis vel ex eo agnoscimus, quòd grassante Peste indies experiamur vulgum inertem, morbum, eiusquè subdolam & latentem vim non agnoscere, ac propterea de curatione nō adeò esse sollicitum, sed eandem differre, donec Venernum Cordis penetralia subintrans, & maiores eundo vires clām acquirens, occasionem medendi omnem surripiat, egrosquè nec opinato pessumdet. Et quî vulgus in dignotione pestis non vehementer hallucinare-

tur:

tur: cùm exercitatissimi sæpè, & qui in arte Medica  
multum pollut, eandē vix agnoscāt? Fatentur enim  
omnes, excepto solo Disputatore nostro, Pestis cog-  
nitionem esse præ omnibus alijs morbis difficulti-  
mam: cùm ob subtilissimum ac perniciōsissimum pe-  
stilens venenum, quod sæpè absquè ullius malignæ  
putredinis aut manifestæ alicuius qualitatis indicijs,  
vires admodum & subito deicīt, ut vita quandoquè  
prius, quām malum innotescat, abrumptatur: tum et-  
iam ob diversitatem Symptomatum, quæ sæpè ma-  
gna cum varietate in Peste contingunt, pro diversa la-  
boratiū temperatura, partium corporis aliquarum  
imbecillitate, & pestilentis veneni natura. Tempera-  
turæ namquè diuersæ diuersos colligunt humores:  
qui vbi inficiuntur, alia in alijs efficiunt Symptoma-  
ta. Quod si verò huic Iecur, alijs Venter aut Intesti-  
num fuerit infirmius, & ex validioribus excrementa  
excipiant partes debiliores: consequitur, ut pro natu-  
ra membrorum alijs aliter laborent, id quod Thasijs  
hanc ob causam accidisse, Galenus. 1. Epidem. 2. 7. te-  
statur.. Pestilens quinetiam venenum instar Protei Pestis μλυ-  
cuiusdam inconstantis ac Chamæleontis, omnium μκιλία.  
morborum faciem assumit, ac vniuersorum malo-  
rum colore & pallio se obvelat: humidas modò, mo-  
dò spirituosas, modò denique solidas occupat par-  
tes. Ac vt diuersæ sunt veneni Ideæ; ita alia atquè alia  
efflorescent Symptomata; & sæpè subdoli huius  
morbi, plurimosquè decipientis insidiæ, clanculum  
incognito habitu subrepunt; tuncq; præsertim, quan-  
do eundem longissimè à nobis remotum suspicamur:  
ita vt interdum Vigore etiam præterito, morbitamen  
dere-

derepente augetur malitia, ut quasi deuorato boue,  
in cauda tandem ægri deficiant. Refert Corn. Gemina  
apud Louanienses Professor Medicinæ Regius *libr. 2.*  
*Cosmocr. fol. 254.* de Peste, quæ anno Christi 1574. in Bel-  
gio grassata est: quod tunc interdum vix villa insignis  
tempestas Symptomatum grauiorum extiterit, vel  
apparuerit ante tertium diem, atque tum quidem ni-  
hil adhuc prætersoporem leuiculum, jactationē cor-  
poris moderatam, vomitum aut ventris fluxum, lin-  
guam pallore subuiridi tinetam, præcordiorum an-  
guistiam: ut etiam sæpè nil perpeti supra ephemeralam  
simplicem viderentur: tandem erumpentibus macu-  
lis circa quartum, quintum aut septimum diem, multi  
etiam facti alacriores obambularent, erectiuè sederet,  
subito tamen tanquam morti à morbo prodiit colla-  
berentur. Ex his quam vulgaris & facilis sit, dormitu-  
rientibus etiam aut in pistrino desidentibus Medicis,  
Pestis dignatio, quilibet absque difficultate iudicare  
potest. Tempus hunc est, vel ipsa Pestis signa eo, quo à  
Disputatore proposita sunt ordine, discutienda ag-  
grediamur.

### Lassitudo ac velut defatigatio.

IN Signa Pestis Propria agmen dicit Lassitudo,  
quam male non in hac modo & sequente Thesi, sed  
etiam in Discursu suo de Morbo Gallico sub alieno no-  
mine edito, defatigationem, pigritiam ad labores &  
progressum, imbecillitatem ac obtusionem sensuum,  
vocat. Est Lassitudo, Λασιτος Græcis affectio corporis,  
in qua, si vel minimū quis moueatur, sensio quædam  
mole-

molesta excitatur phlegmonis, vlceris aut tensionis: quæ aut *ἀνηδρίας*, id est, vltro euenit, & secundum Galenum non simpliciter Lassitudo, sed Spontanea Lassitudo *aphor. 5.* appellatur: aut ex labore & motu nimio originem trahit, & Laboriosa Lassitudo dicitur. Illam intellectissime videtur Disputator, quæ non externam seu *περιτομήν*, sed internam tantum causam agnoscit. Et quia cum Iactatione corporis eadem coniungit, ideo non Tensiua, nec Phlegmonosam, sed Vlcerosam imprimis ipsum subintellexisse Lassitudinem, judicamus. Verum nec Lassitudo, nec Iactatio proprium & inseparabile est Pestis accidens. Pestis *peste num per enim, quatenus Pestis, id est, quatenus maligna Cor- petuum quid.*  
*Lassitudo in-*  
*dis intemperies est, non Lassitudinem, sed imbecilli- tatem potius ac debilitatem virium, ob subitam cali- di natui depraedationem, & exhaustionem vitalium spirituum, infert: cùm Lassitudo à multitudine poti- us sanguinis; aut ab excrementorum tenuium simul & acrium, quæ sub cute aut in carne continentur, copia; aut ab utriusque simul oriatur. Galen. lib. 4. de sanit. tuend. c. 2. Quod si autem Pestis in corpora inciderit Ple- thorica, aut quæ malis succis atque exrementis ab- undant: negari non potest quin Lassitudinem tensi- uam, vlcerosam aut phlegmonudem, pro corporis & humorum conditione, excitare possit: quia verò non semper neque ubique, ex natura Pestilentis Dyscra- siæ; sed interdum, pro ratione, uti diximus, humorū atque corporum constitutionis, aliqua ex prædictis Lassitudinis speciebus, in Pestis correptis apparet: ideo non *παθογνωμονίαν* proprium & inseparabile, sed commune & *παθοφαινόμενον* potius Pestis Symptoma e- rit:*

Iactatio in  
Peste.

rit; & quidem Symptoma facultatis animalis, ac imprimis sentientis. Iactatio vero seu inquietatio (quæ pro diuersa sui & causarum conditione, diuersa apud Hippocratem hinc inde sortitur nomina: appellatur enim δυσΦορία, μιηδασμός, Εληγρίσμος, ἀν, ἀλυτρός, δυοργία & αλυτή) est motus quidam corporis inordinatus ac deprauatus: eaque decumbentes ægris sic agitantur, ut nullo corporis positu commodè quietem capessere possint: natura enim à causa molestante solicitata & obsessa, perpetuò se excitat & commouet, ut onus deplorat, subindeq; corpus incontinenter iactat: loco stare nescit: figuram corporis mutat: manus, collum & crura inæqualiter dispergit: & præsentem rerum statum fastidit. Hæc Iactatio si quando in Peste accedit, quemadmodum eam sæpiissimè accidere non negamus, tum essentiam Pestis non cōsequitur, quæ quietem potius ob vires prostratas, quam inordinatum & frequentem corporis motum, qui ut Hier. Mercurialis in prælect. in prognost. Hipp. docet, fieri nequit absque aliquo robore, infert: sed ægris ut Galen. 3. Epidem. 2. 6. in historia mulieris apud Tisamenum decumbentis testatur, malo in peius tendente Superuenit: ob cibum nempe post inediā ab ægrotis intempestiuè sumptum: Hipp. & Gal. lib. 2. de vīct. acut. 45. aut ob transmissos ad os Ventriculi prauos humores: Gal. li. 7. aphor. 56. & 1. de humorib. 17. & li. 1. prognost. 16. & lib. 4. de vīct. acut. 47. & 2. prorrhet. 43. aut ob æstum circa præcordia vehementem. Gal. 4. vīct. acut. 47. & 2. prorrhet. 43. aut ob Crisin: 2. prorrh. 20. vel ante Symptomaticam etiam eruptionem exanthematum, & ex quauis corruptorum humorū commotione. Ut nihil nunc de mollitie quorundam delicatulorū & delicijs.

liciis dicam, qui ne tantillam febrium aut alterius cuiuspiam rei molestiam æquo animo ferunt: quorū meminit Gal. 1. progn. 16. Ex his luce meridiana clarus est, nec Lassitudinem per se, nec eandem cum ἀλυσμῷ iunctam, esse inseparabile ac proprium & Pathognomonicum Pestis signum: siquidem non semper in Peste laborantibus deprehenduntur: & si forte nonnunquam oborientur, non tamen necessariò simul cum Peste inuidunt, sed ob alias demum causas, vti dictum est, superueniunt nonnullis quidem prima statim die; vt Mulieri, quæ apud Pantimedem degebatur, & post abortum septima interiit, & prima die ἀσωδης fuit: Hipp. 3. Epid. 2. agr. 10. alijs verò in morbi progressu; vt Sileno die morbi sexta: Hipp. 1. Epid. 3. agr. 2. & Adolescenti, qui in mendacium foro decumbebat, die tertio. Hipp. 3. Epid. 2. agr. 8.

### Animus remissior.

**A**Nimi affectus sunt Symptomata & Signa constitutionum facultatis vitalis. Cum itaque Pestis sit morbus Cordis, in quo sedes est facultatis Vitalis, Plato in Timo. Arist. li. 3. de par. anim. c. 4. Gal. li. 7. de plac. Hipp. & Plat. c. 9. & li. 1. de loc. aff. c. 7. & li. 12. Meth. Med. c. 5. ideo mirū non est, hac Lue infectos, ob Spirituum perturbationē, quodam huius vitæ tædio affici, animum abiecere, ac insigni tristitia & mærore, atrocique animi consternatione, cum crebris suspirijs ac Cordis anxio angore, absque causa manifesta seu externa, confici. Quod Symptoma vt plurimum in prima inuasione Pestem comitatur: & ab alijs externis causis, cum communī populi horrore & pusillanimitate, qua plerique à quocunque vel leuissimo correpti morbo, statim

Peste se laborare suspicantur, tūm frequentibus funeribus ac repentina consanguineorum, coniugū, parentum, liberorum & amicorum morte, fouetur, viresque clanculum suffocat, Cordis tremores & animi deliquia, mortis umbras, sāpē accersit, quæ tandem ipsa mors consequitur. Quod si itaque alia Pestis indicia adfuerint, ijsquè mæror ac solicitude cum anxietate accesserint, tunc inter Diagnostica Pestilentiae signa ego hasce animi affectiones haud gravatè collocarim: non tamen facile admiserim, animum & remissiorem & affectibus mobiliorem simul esse posse. Hæc namque contradictionem implicant, nec simul vera sunt.

*Animi remissio & commotio non sunt æqua.*

### Extremum corpus frigidum, internum ardens.

*Extrema corporis & externæ differunt.*

**N**ON extremum sed externum opponitur interno: nec corpus dicitur extremum, sed partes corporis extremæ, ut caput, manus, pedes: *Galen. libr. 2. progn. 4.* vel distinctius, nares, aures, pedes & extremæ manus: *Galen. lib. 7. apb. 1.* quibus opponuntur Thorax & Venter, partes corporis mediæ appellatae, *Gal. 2. progn. 4.* Externæ vero partes sunt, quæ foris apparent & à Galeno. *Ibid. Summæ appellantur.*: qualis est Cutis, quam Galenus à partibus extremis separat ac se iungit. *libr. 7. aphor. 26. & 2. prognost. 4.* Nunc videamus utrum extremarum siue externaliarum partium ψύξις, refrigeratio, cum medianarum vel internaliarum ardore sit proprium & inseparabile Pestis accidens vel signum. Qui naturam pestis, vel saltem prout à Disputatore in thesi octaua circumscrimitur, considerando perpendit, & expe-

ex Peste decumbentes ægrotos curauit aut tractauit  
vnquam, is optima ratione & arguere & conuincere  
erroris Disputatorem potest. Cum enim Pestis non  
manifestis qualitatibus, calore scilicet aut frigiditate,  
multò minus internorum inflammatione; sed occul-  
tâ, indicibili ac malignâ Dyscrasia definiatur, quæ, vt  
in sequentibus ex Iacobo Schegkio Disputator asse-  
rit, non sensibus, sed tantum ratione apprehenditur:  
ideo quomodo extremorum frigus, & interni corpo-  
ris ardor Pestem certò monstrare, aut inseparabiliter  
vnâ cum eâdem inuadere ac incipere possit, quod pro-  
prium est Proprietorum accidentium ac Pathognomo-  
nicorum signorum, vt Gal.lib.1.de Crisib.cap.5.docet, nullâ  
monstrari ratione, nedum experientiâ confirmari po-  
test. plurimis namque, imò plerisque, interiora non  
modò non ardent, sed ne calere quidem præternatu-  
raliter videntur: & quos Febris Pestilens simul appre-  
hendit, ij exiguum vt plurimum calorem percipiūt:  
siquidem, vt Galen. libr. 9. de simpl. med. facul. cap. de Terra  
Sam. & lib. 3. de præ sag. expuls. cap. 3. & 4. docet, febrium pe-  
stilentium, non Hæticarum modò, quod voluit Co-  
mes Montanus lib. 3. de morb. cap. 24. fol. 129. sed etiam Pu-  
tridarum calor non est vehemens: & eas in quadam  
Veneta ac Patauina Peste, Anno Christi 1576. & intus  
& extra tepidas fuisse, H. Mercurialis c. 1. lēction. de Peste,  
testatur. Quin imò nonnulli ne febricitare quidem se-  
putant, sed id omnino pernegant, quemadmodum v-  
bi de Pestis differentijs agemus, id manifestum fiet:  
quapropter interiora ipsis tunc ardere, nemo nisi ap-  
pawia & diavoias laborans affirmabit. Negari quidem nō  
potest, quinsæpè perniciosum hoc & lethale Sympto-

*Estus in-  
ternus non  
proprium  
Pestis signum:*

ma, extremarum scilicet partium & cutis perfrigatio cum internarum feruente incendio, in Peste affe-ctis deprehendatur. Scribit enim Thucydides libr. 2. de bell. Pelopon. de Peste Atheniensi sui temporis, quod in ea exterius tangentibus corpora non valde calida erant, interiora autem ita vrebantur, ut neque valde subtili vestimentorum, neque linteolorum velamenta, neq; aliud quidquam præter nuditatē ferre possent. Quod T. Lucretius lib. 6. de rerum natura ita expressit:

Nec nimio quoiquam posse ardore tueri

Corporis in summo summam feruiscere partem,

Sed potius tepidum manibus proponere tactum: Et paulo

post; Intima pars homini verò flagrabit ad ossa:

Flagrabit stomacho flamma, ut fornacibus intus.

Nil adeò posset quidquam leue tenuèg membris

Vertere in utilitatem.

Idem, teste Galeno. 6. Epidem. 1. 29. in graui atque diu-turba illa Peste accidit, quæ Galeni tempore per pluri-mas Romano Imperio subditas gentes multis conti-nuis annis sœtiuit: cuius idem Galenus meminit libr. de cib. boni & malis suc. c. 1. lib. 3. de presag. ex puls. ca. 3. & 4. & lib. 5. Meth. Meden. c. 12. lib. 3. Epidem. 3. 53. lib. 9. de simpl. med. fac. c. de Terr. Sam. & alibi. Verum hoc Symptoma non est Pestis proprium, sed eidem propter alias interdum superue-niens causas: imprimis verò ob accendentem magnam aliquam inflammationem aut Erysipelas in corporis parte profundiori, seu viscere quopiam eueniens. Gal. lib. 4. vict. acut. 16. & lib. 4. aphor. 48. & lib. 7. aphor. 26. libr. 2. prognost. 4. In Febribus scilicet, quæ Causones ab in-cendio nominantur, perniciosis, vel si aliter libeat ap-pel-

pellare; valde malignis: in quibus viscera interna æstu flagrantia calidum natuum in se euocant, & per modum cucurbitæ ex toto corpore sanguinem prolectat: vnde viscera iis peruruntur, extremæ verò partes, quemadmodum & Cutis, propter defectum sanguinis atque caloris ad viscera se recipientis frigescunt, & eorum plerique ob incendium, quod in viscere sentiunt, nec tegumenta tolerant. *Gal.lib.7.aphor.1.* In alijs verò Pestilentibus febribus, quæ ad prædictum Causonem non referuntur, siue Humorales, siue Spirituosa, siue Hecticæ, ut quidam volunt, fuerint, profundiora nunquam peruruntur.

Ad Frigiditatem verò solam seu solitariâ extrema-  
rum partiū quod attinet, etiam si hanc remoto viscerū *Frigiditas quoque tan-*  
ardore, & huiuscē perpetuo comite, Siti videl. nōnulli *tum est.*  
Medici quarundā malignarū febriū Pathognomonicū *Diagnómena*-  
esse Signū, & vnā cum morbo inuadere statuant: quē-  
admodum Patauī se obseruasle Prosper Alpinus *lib.*  
*2.progn.c.15.* scribit: Tutiū tamen cum Galeno *li. 3. Epid.*  
*2.6.* affirmamus, externarū partiū frigiditatem nō esse  
ex his quæ morbum comitantur, vel, ut cum Disputa-  
tore loquamur, morbū paribus insequuntur vestigiis,  
sed ex illis quæ malo in peius tendenti superueniūt.  
Hinc Hippocrates in postremo aphorismorum libro,  
in quo Epigenomena morborū Signa enarrat, *in primo*  
*aphor. cū τοῖσι ὁξέοιν γενήμασι ψυχής αἰρωτηρίων, πανεγύ,* scribit.  
Quod si verò in quibusdam Pestilentibus febribus, vnā  
cum morbo hoc accidens inuasiss'le, fortè obseruatum  
fuit: id non ex natura morbi, sed ob alias accidisse cau-  
fas, certum est: Epigenomenon namque & lethale est  
in omnibus, etiam non Pestilentibus, acutis morbis  
*signum:*

signum: & in progressu morbi, non omnibus Peste laborantibus, sed tantum morituris, ob resolutionem & extinctionem viuifici nectaris ac spirituum vitalium, superueniens.

## Inde succedens totius corporis habitus inamabilis.

**N**ON de ijs quæ succedunt aut superueniunt Pestis Signis, sed ijs quæ vnâ cum morbo inuadunt, & paribus semper eum inseguuntur seu comitantur vestigijs, nobis in præsentia sermo est: quibus scilicet non morbi  $\# \theta \mathcal{G}$ , sed ideam seu speciem cognoscimus. Sed dic amabò, vnde & cui succedit inamabilis ille corporis habitus? omnibusne prædictis  $\Phi\alpha\gammaορεων$ , an postremo solum? Hoc quidem velle videris, sed male: non enim necessariò succedit, sed idem saepius comitari aut antecedere potest. Videamus nunc quare corporis Pestis laborantium habitus sit aut dicatur inamabilis; aut cur in eo nihil sit, quod amari possit aut debeat. Per Corporis habitum, quem Hippocrates lib. 2. aphor. 28. & 31. τὸ σῶμα, & Galenus ὁλός ἡ σώματος ἔξι appellat, quidam ut Vict. Trincauell. lib. 1. de diff. feb. c. 1. Anton. ab Altomari de medend. febrib. part. 1. cap. 17. Ioh. Argentarius de morb. diff. cap. 11. & alii, ex Galeno intelligunt solidas corporis partes ex aduerso distinctas ab humidis. Nos in præsentia Corporis habitum rectius in illis consistere partibus dicimus, quæ primæ oculis obiciuntur: quales sunt Musculi, qui omnia ambient ossa, & Cutis: de quibus visu iudicatur & tactu; vt videre est apud Galenum in art. Medic. cap. 50. & seqq. Quid itaque est quod habitum corporis adeò in Peste inamabilem red-

reddit? Ulcerane, an exanthemata, maculae variij coloris, aut consumptio muscularum faciei? Hæc Disputatorem esse asserturum, non credo: utpote qui ulcerum, exanthematum, macularum variij coloris, & faciei horridæ aspectuquæ fœdæ sub alijs signis seorsim meminit. An forte vniuersam cutim defoedari turpi colore in Peste existimat? At hoc rarum est, nec *μαρωνικὸν*, sed *Πτηγενόμενον* signum, tūm morem morbi, tūm humorum in corpore abundantium ac pestilenti Lue infectorum corruptorumquæ conditionem indicans. Quod si per Inamabilitatem corporis eius Extenuationem intelligit, nihil quod ad cognitionem Pestis faciat, dicit: siquidē in omnibus morbis acutis non *μαρωνικὸν*, sed *Πτηφανόμενον*, & quidem *μοχθηρὸν* signum est, siue corpus non extenuetur, siue plus æquo gracie scat. Hipp.lib.2.aphor.28.

Facies horrida, aspectuquæ fœda & pegrino more peruersa.

**A** BHabitu corporis totius ad Faciem accedit, quæ ut index animi est, ita etiā corporis affectus detectit plurimos, quod tenella cute sit obducta, & oculis maximè præ cæteris partibus obiectiatur. Quid autem per Faciem horridam, aspectuquæ fœdam & peregrino more peruersam intelligat, non adeo liquet. Quos

*Vulnus & facie habitus  
Peste labo-  
rantium.*

Hippocrates 2. prorrhet. 13. & in Coac. prenot. text. 213. *στυ-  
δηωτες* vocat in morbis, iij vultum habent Scythicum,  
tetricum, superciliosum, austерum & aspectu inamænum. Idem etiam lib. 6. Epidem. 1. 29. Februum aspectu

D hor-

horribilium ac terribilium meminit, quas *m̄perḡs idēr̄ d̄eūḡs* vocat. Verūm credibile est, sermonem Disputatori esse de Faciē vulgō Hippocratica dicta, eō quōd primūm apud Hippocratem in Prognosticorum principio certis signis descripta reperiatur. Galenus 1. prorrhet. 2. Mortiferam appellauit: Cælius Aurelianus Mortuosam: Terentius in *Hecyra* Cadauerosam. Hanc v̄ plurimum in principio morborum acutorum vehemens æstus & perniciosa malignitas efficit. Ad Æstum quod attinet, hic ardentissimarum febrium est proprius, qui quicquid est in ipsis partibus humoris absunit, & aut per sudores euocat, aut insensili transpiratu educit; & nunquam in Peste solitaria, in Febre verò pestilenti interdum, non semper, reperitur. Nec Pestilens malignitas semper faciem subito macie defodat, eiusque partes à naturali statu peruerit: varia siquidem & multiplex est malignitatis vis, & vnius eiusdemquè morbi non vñus idemquè est effectus in omnibus. Hinc sā penumero in ijs quos Pestis apprehēdit, faciei figuram, colorem & molem naturæ competentē seruari: imò hunc morbum, quo nullus malignior, sāpē ægrum prius tollere, quām facies extenuetur, obseruamus. Non itaque Proprium aut Pathognomonicum Pestis signum est Facies horrenda, aspectu fœda, & peregrino more peruersa: sed si quando accidit, quemadmodum accidere posse concedimus tunc Epiphænomenon est signum, non speciem & ideam morbi, sed eiusdem *modi*, ac morem denuncians.

Pulsus exiguus inæqualis pressus.

**S**I Pulsus exiguus, inæqualis ac pressus est Pathognomonicum Pestis signum, ac propterea Pestem cum aliis

*Vultus Peste  
affectionum  
non semper  
deturatus.*

aliis *Φανωρέοις* paribus semper insequitur vestigijs, ac ab eadem inseparabilis est: falsus est, aliosque fecellit Disputator, qui *in thesi. 12.* pleniorum ac firmiorum; & *in thesi. 14.* magnum, aequalem & ordinatum Pulsum in Pestē concedit: qua de re in examine horum locorum agemus. Errauit etiam Galenus, qui in diurna illa Romanorum Pestilentia, cuius sapissimè meminīt, quosdam inde ab initio ad finem usque, alios per totum morbum probum Pulsum habuisse, qui perparū deflexisset à natura, eosque præter cæteros periisse scribit. *lib. 3. de presag. expuls. c. 3.* Et certè errauit Galenus, ac propterea doctrinam hanc eius, quicquid alii dicant, nos non admittimus, & rationes quas adfert imaginarias potius esse quam reales, ut multa alia, quæ de Pulsibus subtiliter magis quam verè scripsit, affirmamus. Quemadmodum etiam I. B. Montanus *part. 2. Medicin. fol. 537.* de Pulsibus agens modestè scribit, Galenū habuisse nescio quid Græci, & proculdubio ipsum risusse, cum quædam de Pulsibus scribeberet, credit. Quomodo enim Pulsus in Pestē bonus & naturali similis esse potest, Corde acutissimo morbo languecente? Cùm namque Viscus hoc non Vitalis modo facultatis, *Plato in Timao. Galen. libr. 7. de placit. Hippocr. & Plat. capit. 9. & libr. 1. de loc. affect. cap. 7. & alibi.* sed etiam Pulsuum, *Galen. libr. 2. de placit. Hipp. & Plat. capit. 4. & libr. 3. cap. 6.* qui vitalis facultatis opus sunt, *Galen. de constitut. art. capit. 18.* & arteriarum sit veluti radix, fons, principium & origo *Hippocr. libr. 2. & 10. Galen. libr. de Carn. libr. de ossium natur. & Galenus libr. 6. de placit. Hippocr. & Plat. capit. 6.* ideo fieri non potest, quin robur eius sub saeuissimo morbo destruatur, & per-

*Galeni error  
de Pulsu Pestē  
affectorum.*

consequens actio ipsius, quæ in arterijs etiam emicat, & in Pulsatione, quam arteriæ à Corde mutuantur Galenus libr. 3. de præ sag. ex puls. capit. 3. deprehenditur, offendatur ac eneruetur. Galenus libr. 3. de præ sag. ex puls. cap. 1. & lib. 3. de plac. Hipp. & Platon. cap. 6. Mutatur itaque Pulsus in Peste, nec naturali manet similis, sed ob deficientem calorem natuum, fit paruuus & tardus, post etiam rarus, Gal. lib. 1. de caus. puls. cap. 4. vsu verò postulante creber seu frequens Galen. ibid. cap. 5. & ob alias causas inæqualis, vndosus, intermittens ac denique formicans. Quæ posteriores Pulsus differentiæ, superuenientia magis quam Pathognomonica sunt Pestis signa: priores verò, parui scilicet, debiles ac obscuri Pulsus, quos, ut iconijcio, per Pressos Pulsus intellexit Disputator, præsentibus alijs Pestis indiciis, certiores nos de ea reddunt, & rarò fallunt. Malè itaque Disputator Signum hoc ab actione læsæ partis defumtum, alijs dubijs, incertis & rarò, nec nisi lethali vel imminentे morte apparentibus, ac superuenientibus, postposuit, cui primum locum meritò assignasse debebat.

### Sudor niuis modo frigidus & fœtens.

*Sudor non est* **S**udor rarissimè in principio Pestis apparet, sed ex suis signis peruenientium accidentium est numero, & propter modum quo modo vi- ea inter Pathognomonica signa referri nec potest nec debet. Multò minus Sudor hyperbolicè seu niuis modo frigidus Pestis Parhognomonicum est Signum: cùm nō nisi funestissimas ac fæuissimas, & ad mortem properan-

perantes Pestes, ipso Disputatore *in thesi*s. teste, consequatur, & in omnibus morbis acutis *Javator* ostendat, Hipp. lib. 4. aphor. 37. & 1. prognost. 26. teste: quemadmodū etiam ex historia iuvencula puerperæ, quæ in mendacium foro decumbebat Hipp. lib. 3. Epidem. s. 2. agr. 12. & Philisci lib. 1. Epid. s. 3. agr. 1. & Droamedæ coniugis itidem puerperæ lib. 1. Epid. s. 3. agr. 11. & aliorum patet: nec ullam cuiuspiam apud Hippocratem historiam, qui in morbo acuto frigidum sudarit, siue per vniuersum corpus, siue circa caput, nec perierit, reperire licet. Cum itaque multi Peste correpti pristinæ restituantur sanitati, & propterea hyperbolice seu niuis modo frigidum sudorem non sudent; plurimi etiam citra talēm sudorem, aut eo in statu demum ac vigore apparet vel erumpente pereant: ideo talis Sudor nec per se, nec alijs signis iunctus, Pathognomonicum & inseparabile Pestis signum esse aut dici potest. De Sudoris fœtore quod scribit, pariter perpetuum non est; sed tum demum superuenit huiusmodi accidens, cùm humores in habitu corporis contenti ob euictum à Pestilenti malignitate naturalem calorem, ac septicam & putrefacientē Pestilentis veneni vim, corruptuntur: aut febris Pestilens, *διως* sic dicta, ex mali succi alimenti orta, olido sudore iudicatur: id quod in malignis illis febribus, quarum meminit Galenus lib. de cib. bon. & mal. succ. cap. 1. accidisse legimus. Quemadmodum cùm humores circa Thoracem & Ventriculum, aut etiam propè colatoria in fundo Cerebri, contenti putrefacti, corruptelam contrahunt, tunc expiratio ægrorum interdum fœtet; quam à vulgo obseruari Galen. lib. 3. de presag. expuls. c. 4. scribit.

Nec Sudoris  
fœtor neceſſariorum &  
dei. 2.

## Cribriores animi defectiones.

*Cordis deliq-  
quum cum  
Peste coniun-  
ctum.*

**C**redibile est, inquit Galenus lib. 3. de plac. Hipp. & Pla-  
to cap. 6. Corde affecto in Syncopen prolabi homi-  
nem, aut etiam interire. Non enim rationibus solum,  
sed etiam experientia comprobatum est, cum Cor gra-  
uiori aliquo morbo affligitur, omnium virium, Vita-  
lium præsertim, quarum domicilium & sedes est Cor,  
robur dissolui. Quapropter mirum non est, si Peste  
correptorum vires quamprimum concidant & exolu-  
cantur: & exolutionem virium animi defectiones se-  
quantur. Hinc Medici optima ratione magnam ac su-  
bitam omnium virium, Vitalium imprimis, sine alia  
& manifesta occasione, imbecillitatem, *αχωειστ* at-  
que inseparabile Pestis symptoma esse statuunt: quod  
alijs Phenomenis & proprijs accidentibus additum,  
Pathognomonicum sit Pestis Signum. Non tamen est  
necessere ut animi defectiones à virium lapsu tantopere  
distinguantur: cum gradu faltem & secundum magis  
ac minus differant.

Subitus & repentinus solius Cor-  
dis calor.

**D**isputator non minus *πλυνθόνιλ* est, quam Pestis,  
quæ varias facies, variosque colores assumit. Pau-  
lò priùs totum internum corpus Peste affectorum ar-  
debat: nunc incendium illud deferuit; & tantum-  
modò calet, non internum corpus, sed solum Cor, &  
subito quidem ac repentino calore. Obscura dictio  
nihil

nihil docet, Galen. libr. 3. victor. acut. 18. nec scientifi-  
cam explanationem admittit. Galenus 6. Epidem. 3. 2.  
Quid quæsò est repentinus aut subitus solius Cordis  
calor? Ego, vt verum fatear, horum verborum sen-  
sum non satis percipio. Calor ille aut naturalis est, aut  
præter naturam Cor afficit. Naturalem illum esse non  
dicetis, qui Symptomata esse affectus præter natu-  
ram nouit. Galenus libr. depart. artic. Medic. cap. 9. & lib.  
de Sympt. diff. capit. 1. & libr. 2. Method. Meden. cap. 3. & lib.  
3. de præsag. expuls. capit. 1. & 2. de humor. 26. & alibi. Si præ-  
ternaturalis est ille calor Cordis, ergo Febris est, quæ  
per arterias vniuerso communicari potest corpori, nî  
quidpiam impedit. Febrim verò inseparabilem esse  
à Peste, ac cum omni Peste concurrere, est falsissi-  
mum: cùm mortales vel citra Febrim Pestis corri-  
piat: quod non Hippocrates modò libr. 3. Epidem.  
section. 3. text. 25. & 55. & alibi; sed etiam Galenus  
libr. 9. de simpl. medic. facul. capit. de terra Sam. & libr. 3.  
Epidem. 3. 57. Iacobus de Partibus super Auicenn. libr. 4.  
fen. 1. tractat. 4. capit. de febr. pestilent. Alexander de  
Benedict. libr. de Peste capit. 2. Hieronym. Mercurialis  
in lect. de Peste capit. 18. & alij plurimi obseruarunt.  
Etsi enim, vt Fernelius libr. 2. de abdit. rerum caus. capit.  
12. docet, cùm Pestis in corpus incidit Plethora vel  
Cacochymia, vel obstructione laborans, fieri vix  
potest, quin putrida febri impicitur; ob putredinem,  
quâ corrupti & caloris natiui custodia priuati humo-  
res protinus affici consueuerunt: sàpè tamen pestis et-  
iam pura inuadit corpora; & interdum venenitam per-  
nex & rapax est malignitas; aut Cordis ipsius, ad quod  
habet antipathia analogiam, tanta imbecilitas;

*Caloris vox  
obscure usura  
pata.*

*Febris non  
omni in Peste.*

*Distinguitur*

*vt in-*

yt interdum prius iugulet homines, quām tempus & locus putrefactioni & accensioni humorum concedatur. Ex quo mortes contingunt subitaneæ ac improuissæ : quemadmodum in Romana illa Peste sub Romulo, cuius meminit *Dionys. Halicar. libr. 2.* homines statim absque morbis periisse *Plutarchus in Romulo, & Zonaras 2. annal.* testantur. Et in grauissima illa Peste, quæ anno Christi 1564. & 1565. per uniuersam propè Galliam debacchata est, idem sæpè accidisse, nec sine magno

*Pestis non est Febris contra I. Alexan- drinum & I. Schegkium.* terrore ac periculo se vidisse, S. Simonius lib. 1. de Pestis curatione scribit. Hinc mirari satis nequeo, quod non modo Iul. Alexandrinus lib. de Theriaca asserere ausus sit, omnes confiteri Pestem Febrim esse : verum etiam Jacobus Schegkius, ex cuius officina Disputator plura deprompsit, in libello quem de Caloris vi & efficacia edidit fol. 470. 471. & 475. scribat; nullum venenum Cordis neq; abolere posse, nisi eandem manifesta aliqua qualitate, calore nimirum aut frigiditate, contra naturam insigniter alteret: & propterea Pestilens venenum, aut nimis refrigerando subitum exitium afferre aut calefaciendo. Nemo autem dixerit Pestem refrigerando Cor ipsum eiusquæ calorem extinguere: quare necesse est, ait, vt id calefaciendo hec tico quodam, in habitu seu substantia Cordis incenso, calore causa sit abolitæ craseos: qui Calor Cor ipsum alterans, fieri non potest, quin sit Febrilis: Qua ratione ἀλόγως & contra Galeni doctrinam, (qui agentia à tota substantia, vbique iis quæ manifestis qualitatibus agunt opponit, vt lib. de constit. art. cap. 19. lib. 4. de simpl. med. fac. cap. 18. & lib. 5. in proœmio. & cap. 17. 18. lib. 8. de compos. med. &c. 10. cap. 8. lib. 13. Method. Meden. cap. 6. & lib. 6. Epidem. 6. 5. & alibi,) Quid mnia

mnia ad manifestas refert qualitates: quod summarie es-  
se impudentiae I. C. Scaliger exerc. 218. s. 8. scribit. Sui ta- *I. Schegkius.*  
men quasi oblitus idem I. Schegkius in disp. de morb. sub- sibi αὐλιαζο-  
stant. differens de modo διαφοράς nonnullorum, quae μεν θ.  
non manifestis dyscrasias perimunt; non διαφορών modò  
Epilepticam, quae propriæ Cerebri crasis opponitur :  
sed etiam διαφορών Pestilentem, Cordis proprio tempe-  
ramento oppositam, manifesta qualitate primarum  
qualitatum definiri posse negat: sed huiusmodi quali-  
tates secundas appellat, propriis partium tempera-  
mentis (quae & ipsa pro secundis numerantur qualita-  
tibus) oppositas, nec sensu sed ratione tantum appre-  
hensibles. Eiusdem inconstantia est etiam Disputa-  
tor, qui in alia quadam Disputatione thesi. 25. 29. & 31.  
Pestem ex genere Febrium esse & Cordis intemperiem  
calidam rectè dici affirmat. Mox ἀπόδημα των απόστολον  
desciscens sententia, eadem thesi 25. & 27. negat Pestem  
esse intemperiem calidam aut manifestam: sed dys-  
crasian quandam innominatam affirmat, quae sub-  
stantialem & essentialiem Cordis κράσιν labefactat &  
corrumptit αὐλιαδεῖα quadam occulta, quaeque pri-  
marum qualitatum nullā definiri potest & exprimi,  
nomine carens.

Et natura cù in moueat.

C Arbunculos & Bubones Pestem humoralem ut  
plurimum comitari, & si non in primo insultu, in  
principio tamen motbi apparere, eiusquæ reliquis re-  
spondentibus signis infallibile esse indicium, certum  
est: nisi sauisima Peste correpti citius corruant, quam

natura triumphata humore malignos, ad exteriores partes & emunctoria expellere aggrediatur. De Maculis vero & Maculae & Exanthemata. Exanthematis qui idem pronunciat, insigniter errat: haec enim, ut etiam P. Salius lib. de febr. pestil. cap. 14. docet, licet Febre semper attestentur Pestilentem, non tamen in omnibus huiusmodi febribus apparent; nec in principio, sed progressu morbi euenire solent, ac postapparent. Quæ de generatione horum abscessuum scribit Disputator, absurdissima sunt; & propterea siccо non prætereunda pede. Scribit Naturam, ea quæ sibi in intimis corporum infensa sunt, primū mouere, deinde seceri, postea longissimè propellere, & ad extrema protrudere. In thes. 8. errorem suum manifestius prodit, scribens, naturam hosce abscessus moliri motu Critico: & thes. 14. statuit, has euacuationes fieri posse in die decretorio præsentibus Concoctionis signis. Haec, candide Lector, non sunt inuoluenda silentio. De antiquis dicere solebat Auerrhoës, quod verba onerabant sententiis: nos de Disputatore verè dicere possumus, quod verba sua oneret erroribus, ijsque adeò evidentibus, ut Hippocraticam illam veram ac solidam Medicinam vix redoleant. Constat ex superioribus, Disputatorem hic sibi proposuisse Pathognomonica saltematque inseparabilia, quæquæ Pestem nullâ humorum ratione semper ac paribus insequuntur vestigiis, & statim cum morbo inuadunt, enarrare signa; non quædemum morbo iam præsente, naturamquæ solicitante bonis vel malis ægri rebus superueniunt; & non Morbi sunt Symptomata, sed Naturæ effecta. Male itaque & perperam Abscessus Pestis

*Signorum  
pestis confusa  
traditio.*

Pestilentes in præsentem Signorum catalogum referunt: quos Humorum evenire ratione, qui eorum continententes sunt causæ; & pro horum diuersitate diuersos fieri, manifestum est. Non enim absque humore fiunt Abscessus: & cum crassus humor à Pestilenti seminario afficitur, Bubonem consequi; adiutis verò, tenuibus, & acribus humoribus affectis, ἀπόγανες, ἐκθύματα, σύρραγτα & similia apparere, apud omnes in confessu est; & à Disputatore *in thesi. 8. concessum.*

Secundò Motus, Secretio, Propulsio &c. non nisi in ijs morbis fiunt, quorum *ὑπαρξία* in vitio humorum, qui mouentur, secernuntur & protruduntur, consistit: ergò falsum est, absque humorum respectu vel conditione hosce motus in corporibus fieri.

Tertiò, mouere quæ aliena & noxia sunt, ea ab utilibus secernere, & ad extimas partes longissimè protrudere, non morbi, vel naturæ à morbo irritatæ ac offensæ, sed naturæ utiliter & benè agentis ac tringendæ. *ἐργα naturæ a Symptomatibus distinctæ.*  
umphantia sunt opera: ideoquæ à Symptomatibus accuratè distinguenda, *iuxta Galenum lib. de Symp. diff. cap. 6.* propterea quod *ἐργα* sunt τῆς Φύσεως μεταράμψεις καὶ αφορίαις ζώως. Salutares quippe & Critici sunt huiusmodi motus & abscessus, non Symptomatici: qui ut plurimum sunt periculosi, aut sine *ἀφορίᾳ* contingunt.

Quartò, omnes salutares & Critici Abscessus, siue *κατ' εκρυνέαν κατ' ἐγροῦν*, siue *κατ' ἀπόθεσιν* fiant, Concoctionem humorum requirunt, quam præire oportet, subsequi deinde secretionem, & postea euacuationem,

vt bona fiat Crisis: quemadmodum Galenus 4. aphorif. 22. scribit: quæ Coctio non Crisim modò, sed etiam diem, & securitatem ac celeritatem Criseos denunciat: quemadmodum ex Hippocratis operibus notum est. Concoctio autem, iuxta Disputatorem, in Peste nulla est: vt pote quam natura alterare nequit, aut quidpiam in eam agere: qua de re in theseos quintæ examine agemus. Quintò, notum est, Pestem esse morbum, si quispiam aliis ἀκριτοῖς & paucissimis in Pestilentí statu esse Crises, easque difficiles, incertas, minimeque tutas. Multi, inquit Hippocrates lib.3. Epid. 3. 17. morbi prorsus non iudicabantur, quidam ægrè. Et Galenus. 2. ap̄for. 13. scribit, Crises in Pestilentí constitutione ad mortem potius quam salutem fieri: contrà quam in alijs morbis, in quibus iudicationes vtplurimum bene terminantur. At eruptiones Bubonum & Carbunculorum sunt frequentes, imò frequentissimæ, quæ in omnibus ferè, ut diximus, Peste correptis deprehenduntur, & sæpè ob humorum noxiorum à principibus partibus ad ignobiliores decubitum vel depositationem, quam cum Crisi temerè confundit Disputator, bonis ægri rebus contingunt. Sextò, secretio noxiorum humorum, & eorundem ab intimis ad extimas partes & longissimè dissitas propulsio, hoc est, vt vno dicam verbo, Crisis, nunquam in primo morbi fit insultu; siquidem hæc citra morbi iam præsentis & naturæ certamen non fit. At Abscessus illi, si Pathognomica sunt Pestis signa, vnâ cum morbo apparent; imò interdum, antequam ægri decumbere cogantur, aut se ægrotare intelligent, deprehenduntur. Denique Abscessus Pestilentiales absque perturbatione aut com-

Pestis

ἀκριτοῖς οὐ.

Bubones in  
peste nihil ad  
Cris. n.

commotione aliqua vehementi, non animaduertentibus ferè ægris, erumpunt: at Criticos, non mediocris in ægri corpore, ob naturæ morbiquè pugnam præcedit perturbatio: ut videre est apud Galenum *libr. 1.*  
*dedieb. decr. c. 1. & lib. 3. de Cris. c. 2.*

## Mors subita, repentina, inopinata, sine sensu doloris.

**S**i de *ἀναγνώσκεις* Signis, quibus præteritum morbi statum in memoriam reuocamus, in præsentia nobis sermo esset, examine huius particulæ supersedere potuissimus: siquidem post Mortem, quæ omnium accidentium postremum est, non de præsenti, quia non amplius adest, sed de præterito morbo iudicamus. Quia autem de Pathognomonicis signis loquamur, ideo Mortem meritò ab eorum classe reiicimus. Et licet subitam ac repentinam eam in Peste esse concedamus; nec opinatò tamen eandem semper euenter, & Pestem paribus semper insequi vestigijs, pernegeramus. Est quidem Pestis suâ natura pessimus. & exitus Pestis vehe-  
alis morbus, *Gal. lib. 1. Epid. s. 1. in proem.* fera veluti quæ-  
dam deuastans, ægros immedicabiles reddens; *Artaxerxes in epist. ad Patum.* imò bellua quædam haud paucos interimens, verùm ciuitates quoque totas depascens; *Gal. lib. de Theriaca ad Pison. cap. 16.* vnde plurimos in morbo Epidemico interire, paucos seruari, est verus characterismus Pestis, secundum *Galenum lib. 3. Epid. 3. 20. & 21. & lib. 1. de vñct. acut. 9.* Et cùm non modò exitialis, verùm etiam acutissima ac celerrimi motus sit Pestis, ideo etiam breuienecat, ac repentina morte peri-

mit ægrotantes. Non tamen propterea omnes enecat hic morbus, nec semper inopinata est hæc Mors, quam horrendorum ac lethalium Symptomatum tam magna præcedit caterua. Quis enim Medicorum, (nisi Abortiuus, aut ut Galenus i. de humorib. i. loquitur, Verbotenus aut per compedium Medicus fuerit,) tam rudis est, qui àb i in ægrotante totius corporis spontaneam lassitudinem, iactationem, tristitiam, extremorum frigiditatem, internorum ardorem, faciem συνθρωπίαν aut Hippocraticam, sudorem niuis aut fortassis etiam glaciei modo frigidum & fœtentem, lapsum ac defecatum omnium virium, ac similia lethalia & mortis prænuntia conspexerit Symptomata; Mortem tamen præter opinionem accidisse affirmare ausit? Verum de his forte etiam in thesi quinta agemus. Quod denique de absentia Doloris nugatur, ridiculum est. Quis enim, nisi stupidus, non animaduertit, Carbunculos, Bubones, qui interdum integras partes deuastant omnino, depopulantur, corrumpunt, putrefaciunt, ac consumunt (agnoscis verba Tua Disputator?) sine Doloris sensu esse non posse? Benigni Carbunculi ac Bubones non sunt absque intenso dolore: hi vero qui perniciosissimi, ac malignissimi sunt, à dolore erunt imunes? Quod si Disputator regesserit, sibi non de Morbo, sed Mortis momento sermonem esse; nil nisi nugas dixerit: siquidem in aliis omnibus morbis, emoriente ad extremum animali, ob extinctionem, consumptionem aut suffocationem calidinatiui, sensus simul omnes sensim cessant ac emoriuntur, ita ut dolores amplius non percipiant. Hinc nonnulli dicere solent: Non morbi, sed ægrotare parit dolorē. Ethæc de Phænomenis,

Doloris sensu  
in Peste.

qui-

quibus, secundum Disputatorem, præsertim conspi-  
cua fit ipsa Pestis, dixisse sufficiat.

# EXERCITAT. AD T H E S. IV.

**P**ositis Phænomenis ac propriis Pestis accidentibus,  
ex iisdem in præsente Thesi Cor Pestis esse  $\pi\epsilon\omega\pi\gamma$   
*deutum* seu subiectum probare conatur: verū suo mo-  
re, id est, obscurè ac confusè. Et primū tali argumen-  
to ytitur. Cuicunque Parti corporis dicta seu disertè  
proposita, nec non alia  $\phi\alpha\nu\omega\rho\epsilon\rho\alpha$  primariò accidūt; ita  
ut respectu huius partis sint  $\sigma\mu\pi\epsilon\pi\eta\pi\zeta$ ; respectu alia-  
rum verò partium  $\lambda\pi\pi\mu\pi\epsilon\pi\zeta$  illa Pestis est Subje-  
ctum Atqui omnia hæc  $\phi\alpha\nu\omega\rho\epsilon\rho\alpha$  & alia etiam, non nisi  
Cordi affecto & male habenti primariò accidentū ob-  
tueriuntquè. Ergo Cor est Subiectum Pestis. Assumpti-  
onem probat sequentia ratione, ex meditullio analyti-  
cæ doctrinæ desumta: quia scilicet in Corderobur vi-  
tale situm est: quia Principatus vitæ & vegetationis  
Cordi adscribitur: quia propter Cordis viuificum  
calorem, & spiritum vitalem reliquæ partes animati  
corporis viuunt, vegetantur & nutriuntur: quia la-  
borante Corde aut eodem omnino extincto, reliquæ  
partes omnes emoriuntur: & viuere desinunt: ac de-  
nique quia Nutrificationis officium, causa quoque af-  
fectuum, in Corde est. Quæ, qualis, quanta hæc est  
Assumpti probatio? Quid quæso vitale robur, sedes  
caloris, viuifici, nutrificationis officium, vitæ ac ve-  
getationis principatus & similia, iuvant aut faciunt ad  
probandum vel demonstrandum, faciē horrendā, su-  
dorem frigidum ac fœtentem, lassitudinē, iactationē,

*Vtrum cor  
primum Pe-  
stis subie-  
ctum.*

bubo-

bubones, carbunculos, exanthemata, partium corporis putrefactiones, consumptionesquè, non nisi Cor de præter naturam affecto, reliquis partibus etiam si corruptæ autem mortuæ deciderint, per se saluis & integris, oriri?

Iudicent æqui Lectores, an non ex illis ipsis Phænomenis, ne quid de alijs dicam rationibus, contrarium demonstrari possit; nempe non Cor, sed alias etiam partes corporis interdum Subiectum esse Pestis. Perpendant solùm Bubones, qui omnium Medicorum consensu non à Corde tantùm (siquidem sub alis semper erumperent) verùm etiam à Cerebro & Hepate, propagines ducunt, eorumquè specimen exhibent, ut Hipp.lib.6 Epid.s.2.4.7.scribit. Nec à Visceribus solis, sed etiam aliis partibus glandularum inflammations in Peste suboriri sàpè experimur. Natura namque de animalis vita adeò solicita est, ut non à Visceribus modò, verùm etiam aliis corporis partibus, quicquid intus delitescit & inimicum est, ad debiliores, quales sunt vt plurimum Cutis & Glandulæ, conetur depellere, & illas à materia iniqua vindicare. Hinc vbi Pestilens venenum externam cutem attingens, per angustissima eius spiracula arteriarum motu intra corpus recipitur, fit interdum ut partes proximæ, quæ primum pestilentis veneni impetum excipiunt, id quamprimum ad glandulas aut cutem, antequā Cor attingat, interni caloris impetu propellant: aut omnino foras prius expellant, quam in sinus intimos penetrare potuerit. Hac ratione sibi Carbunculi pestilentis pustulam iuxta pollicem; & Socero duas in pede sine ulteriori noxa erupisse, F. Platerus libr. 2. obser.fol.

306. & lib. 3. fol. 590. scribit. Consideremus quæso Statum illum Pestilentem, qui multarum fuit gentium communis, quem Hippocrates libr. 3. Epidem. describit: & quem Galenus inter omnes Status ab Hippocrate descriptos, solum verè Pestilentem appellare consuevit; & Alex. Massaria lib. 1. de Peste fol. 10. eundem esse cum Atheniensium Peste, quam Thucydides & Lucretius describunt, credidit: & reperiemus profectò varios, diuersos, diuersarumquè partium morbos, cum & sine Febre, Erysipelata, Phrenitidem, carbunculos, apostemata, ossium denudationes ac decidentias, & alios huiusmodi varios affectus: ex quibus diuersas in Peste corporis partes laborasse, & Pestem non esse morbum vnius generis, seu ut Galen. lib. 3. Epidem. 3. 20. loquitur, non esse certi morbi nomen, quilibet colligere potest. Ar-  
Imo aliae  
quog, partes  
subiectum  
sunt Pestis.  
 dentes namque Febres, in Pestilenti illa constitutione, extiterunt ob biliosa excrementa, non Cor, sed Iecur & Ventrem inuadentia: ut Galenus 3. Epidem. 3. 11. docuit. Phrenitidis Subiectum Caput fuit, biliosi humoribus ab Hepate eò delatis. Galen. ibid. Multos è Fauci-  
 bus laborasse ibidem scribit Hippocrates tex. 10. non à Corde, sed ut Galenus in comment. ait, à Cerebro humoribus prauis eò transmissis. Quid multis opus est? Galenus de illa Pestilentia in comment. text. 12. hæc scribit: Memineris etiam hanc communem rationem, ab eodē statu genitum omnibus putrem humorem non easdem insidere partes, quod nec per naturam omnium in eadem conditione corpus esset eo statu, sed esset alia alijs pars infirmior. Hinc nōnullis ora aphthis vitiabantur; aliis pudenda tuberculis, oculi lippitudinibus laborabant; quibusdam mentum ossaque denu-  
 F dabani-

dabantur, decidebantquè. In Peste Atheniensi principiò Caput incensum ferore gerebant; inquit Luretius. Lues namque, teste Thucydide, sedem primum in Capite posuerat, supernè exorsa corpus vniuersum peruagabatur, & propterea non Cor modò, sed partes vniuersas in consensem trahebat, tandem què tum in pudenda, tum etiā in summas manus summosquè Pedes irrupebat, & partibus hisce ægros mutilabat. Quod etiam Hippocrates lib.3. Epid. 25. & Galenus de sui temporis Pestilentia lib.3. de vsu part. c. 5. testatur. Corrumpit namque ista Fera quicquid ad corruptionem idoneum offenderit: & mediante aëre per inspirationem attracta & ad Cerebrum delata, id sæpè primùm lædit: & ut Andr. Libanius tract. de Venen. cap. 11. scribit, necare potest, antequā vis venefica tangat Cor. Refert Ambrosius Paræus lib. de Peste cap. 12. de seipso, cùm aliquando Peste infectum imprudentius confer- tim diductis stragulis renudasset, actutum densum, te- trum, ac putridum vaporem ex rupto duorum carbū- culorum abscessu, pernares in Cerebrum sibi insiliisse: ex quo oborta Leipothymia mortuo similis præ- ceps in terram sine sensu deciderit: & subsequito fre- quenti sternutamento ac narium hæmorrhagia ab o- mni veneni impressione liberatus fuerit. Cor sibi non fuisse affectum constanter affirmat. Hæc omnia, vt & aliarum Pestium morbos, symptomata & progressio- nes qui accuratiùs considerauerit, cognoscet quidem Pestis vt plurimum sedem esse Cor; in nostra præser- tim Peste veteribus fortassis non satis cognita fieri ta- mē, vt interdum alias etiam corporis partes obsideat, prout hæc aut debiliores aut veneno analogæ fuerint, non negabit.

Prin-

## Principatum vitæ &amp; vegetationis.

**C**or vitæ esse principium, nemo est qui negat: hoc  
enim facultatis Vitalis sedes est, & spirituum vita-  
lium officina: & læso Corde omnes reliquas partes læ-  
di necessæ est, & interire quidem, si grauiter lædatur.

*Arist.li.3.de part.anim.c.4. & li.4.c.2. neq; animal morio-  
mninò posse, nî Cor afficiatur. Gall.li.5.de loc. aff. c. 1. Non Non quâ ve-  
tamen propterea Nutritionis seu Vegetationis etiam getationem.*

Principatus eidem Cordi est ascribendus. Ex Aristotele namq; didicimus, si non ex nobis meti ipsis nouimus, proprias effectis naturalibus attribuendas esse causas, (quas li.2.Phy.c.3.tex.38. τὸ ἀντόποια τὰ δῆλα nominat) non quæ generales sint & latius pateant. Influens calidum natuum, quo partes naturales in animalibus, ut id quod suum est agere possint, opus habent, nullius propriæ functionis est causa primaria, sed communis propriis & primariis ausis, tanquam Instrumentum vel οὐσίην sese accommodans. Idem enim est ille Calor, quia Corde, quod eius est principium per arterias in Testes, & is qui in Ventriculum, Mammas, Iecur &c. distribuitur neque tamen præter Testes vlla est pars, quæ Semen conficit, nec præter Ventriculum quæ Chylum, nec præter Mammas quæ Lac, nec præter Hepar quæ Sanguinem generat; licet id absque calido influente non fiat: partium namque prædictarum hoc est primò, non Cordis; hoc est, hæ operaciones non calori influenti, qui partibus illis non φύεται sed καρά μέθοις inest, primò & principaliter, sed harum partium Naturæ tribuendæ sunt, seu cuiusque

Differunt  
omnino cau-  
sa principales.  
& Instrumen-  
taria.

formæ essentiæ, ob quam non quiduis pars potest animalis: quælibet calor autem influenti per accidens, tanquam Instrumento. Principatum verò seu Principium, & Instrumentum inter se differre, etiam Tyronibus notum est: utpote qui id non modò ex Disputatoris alia quadam Disputatione, verùm etiam ex ipsius Praeceptore Iacobo Schegkio discere potuerūt. Is enim in *disp. de occult. medic. fac. fol. 164.* inter Principales & Organicas causas manifestè distinguit: & in *libr. de calid. vi. & effic. cap. 2. f. 311.* expressè scribit, hunc ipsū influentem calorem seu Spiritum vitalem esse causam Instrumentalem nutricationis in omnibus partibus similaribus: & in *disput. de spirit. anim. f. 235.* vnumquodque suo Proprio calore humidoquè vegetari, docet: veruntamen hoc corpus à seipso non habere ut nutriti queat, si Cordis viuifico Instrumento destituatur, nepe Calore vitali, qui à Corde Instrumento arteriarum per vniuersum corpus in omnes nutriendas partes diffunditur. Cùm ergò Organica causa Nutritionis est Cor, & quos generat, spiritus vitales; malè ijs Disputator Principatum asscribit. Meminisse debebat doctrinæ nostri Galeni, qui in Corde principium esse nutriendi animantibus non concedit, & eos, qui in Corde esse nutritionis animalium originem dicunt, mentiri scribit, *lib. 2. de plac. Hipp. & Plat. c. 8.*

### Vitæ & Vegetationis.

**H**ic Vitam & Nutritionem confundere videtur, & pro vno eodemquè habere: sequutus Praeceptorem suum Iacobum Schegkium in *disput. de spirit. anim. f. 235.*

f.235. imprimis verò Aristotelem, qui omne quod viuit  
nutriri censuit, & viuere quicquid nutritur; adeoque  
Vitam opus esse nutrientis animæ facultatis. *Mέγας Αἰ-*  
*ων ἀντίμειος.* Multò rectius Medici cum Galeno Vitalem *Facultates,*  
facultatem à Naturali distinxerunt, ijs solum vitam *vitalis &*  
tribuentes, quæ Cordis arteriarumque motu vigent. *Naturalis*  
Aliud namque est Viuere, & aliud Nutrirī: & alias est *distinguend-*  
Sanguis Nutritionis in venis, cuius officina Hepar: a-  
lius Vitæ in arteriis, cuius fons est Cor. *iuxta Platonem in*  
*Dialog. de natur. & Galenum lib. 6. de placit. Hipp. & Plat. ca. 8. & Schegk.*  
& 9. Quin etiam quædam cessante nutritione viuunt  
aliquandiu, si Galen lib. 5. de loc. affect. c. 1. & Franc. Vallesio  
lib. 3. controuers. c. 1. & Nicol. Taurello in Arist. lib. de vit. & mort.  
cap. 1. credimus: & nutriuntur quædam quæ non viuunt,  
veluti sunt Stirpes & Plantæ. Etsi enim vulgo recep-  
tum sit, Pláticas viuere & animatas esse, propterea quod  
nutriantur & suos producant fructus: certis tamen de  
causis Vitam solis Animalibus ascribendam esse cen-  
semus. Cor enim Plantis est nullum, sine quo nihil vi-  
uere, etiam Iac. Schegkius in disp. de spirit. anim. f. 211. cō-  
cedit: nisi cum eodem Schegkio Ibid. f. 242. & alibi, So-  
lem, cum alijs verò medullam Cor Plantarum affir-  
mare velimus. Nulla etiam est Anima quæ Cor inha-  
bitet, huiusquè adminiculo calorem ipsis vitamquè  
tribuat. Et si animam habent, cur non appellantura-  
nimalia? *καὶ μὴ λέγειν τὸν αὐτόν, ψυχῆς εὐθῶν, δὲ τοῦτο, inquit Aristoteles lib. 1. de anima cap. 5. text. 87.* Nihil certè est in plá-  
tis, quod vel animam vel vitam referat. Vna scilicet  
est Nutritio, quam cum Galeno soli φύση attribuimus,  
vnde etiam φύση appellantur: quorum utrumque *δῶρο*  
*εἰς φύσην nomen inuenit.* Ita enim lib. 1. de caus. Sympt. cap. 7.

*Sola Anima-*  
*lia viuunt,*  
*non itidem*  
*planta.*

dealimenti attractatione (quam I. Schegkius *de purg. medic. f. 199.* & 204. in Stirpibus esse negat) agens scribit: ἀποτελεσθε τοι εργον, οὐ ψυχικὸν, αἰλαφυσικὸν τοιόπλοχον. Et *l. de nat. fac. c. 1.* τοῦ μὲν ψυχῆς τε ἄμα καὶ φύσεως, τὰ ζῶα διοικεῖσθαι φάμεν, τοῦ δὲ φύσεως μόνης τὰ φυτὰ γέ το γέ αὐξάνεσθαι καὶ τρέφεσθαι φύσεως ἔργα φάμεν, & ψυχῆς. Cum enim quatuor sint facultates dictæ naturales, quibus ipsa perficiuntur nutritio: nulla ex iis est, quæ non ab essentiali partis vniuerscuiusque forma procedat; & non in aliis etiā rebus inueniatur merè naturalibus: non enim ab anima, sed à naturali sua substantia sibi naturaliter insitashabent vires Plantæ vel Stirpes, quibus, quemadmodum Magnesferrum, alimentum attrahunt, & diversimode pro sua quæque natura conficiunt. Nec est ut propterea in Stirpibus ad Animam configiamus Naturā postposita, quod huiuscemodi earum operaciones & incrementa nulla ratione, ex manifestis elemētorum qualitatibus desumpta, describi vel demonstrari possint: nam hoc pacto vel nihil, vel saltem exiguū quidpiam erit, quod Naturæ tribuatur. Quod si vero quidam ita stupidifuerint, ut veritatem audientes assēquie eandem non possint, quemadmodum Galenus *lib. 2. simpl. medic. cap. 23.* loquitur: & τὰ φυτὰ nihilominus vivere contenderint, eo quod & Oua animalium Peripateticis vivere dicantur: iij sciant, se impropricē & minus Philosophicē loqui; aut *ἀστονίστως παρεδίχεσθαι πίστιν τὴν αληθείαν*, id est, opinionibus seruire & ex autoritate rerum veritatem metiri. Nam & nos de Stirpibus idem dicimus, quod Aristoteles *lib. de vit. & mort. cap. 1.* de earum Seminibus & Ovis scripsit; eas sciēt παρομοίως μὲν, αἷλον δὲ τρόπον vivere; ratione nempe quæ-

Respondeatur  
objectioni.

Vita Plantis  
ascribitur  
diximus.

quadam similitudinis alicuius: siquidem neque Mors Stirpibus propriè competit, sed *avars*, eodem Aristotele ibidem teste.

*Stirpes non dicuntur Mori nupis.*

## Nutricationis officium.

**E**nī ἀνάτασθι δογμήτων, τελλα συμβαίνει. scribit Aristoteles lib. i. Physic. cap. 2. tex. 10. & cap. 3. tex. 22. & hoc non esse difficile, ibidem Aristoteles, & in præsentia Disputator, proprio exemplo testatur. Vegetationis namque Principatum Cordi asscribendo, clam in alium errorēm delabitur, & Nutricationis: etiam officium, corde: quidpiam à Vegetatione distinctum & separatum, Cordi attribuit: quod nihil aliud est, quam *aιματωόησις* Sanguificatio, cuius officinam Aristoteles libr. 3. de part. anim. cap. 4. & lib. 3. hist. anim. cap. 19. & alibi, Cor est statuit. Quia autem hoc dogma non manifestis modō Anatomicorum obseruationibus, sed rationi etiam ipsi repugnat; & propterea à Peripateticis etiam dudu explosum, atque à Galeno lib. 6. de placit. Hipp. & Plato. acriter reprehensum est: ideo pluribus de eo in præsentiarum différere superuacaneum esse duximus. Quod si verò aliud quidpiam, quam *aιματωόησιν* per Nutricationis officium intelligit Disputator, dicat nobis quid id sit, aut quale: nam hæc mysteria nos non intelligere, ingenuè fatemur.

*Nutricatio*

*non est in*

*corde:*

## Eodem extincto omnino.

**P**lus quam falsum est, cor semper prius extinguitur, quam cæteræ partes omnes viuere desinant: *Cor postea munmerum cum ens.*

cum econtra ab Aristotele lib.2.de gener.anim.cap.6. & a-  
liis dicatur esse postremum moriens: quod itidem, ut  
N. Taurellus alp.caſ.lib.5.q.3.t.3.scribit, dubium est. In Inſe-  
non ~~et~~ <sup>et</sup> ~~mv-~~  
~~to~~. ~~et~~ <sup>et</sup> ~~mv-~~  
Citis enim partes à Corde avulsæ viuunt ad tempus ali-  
quod: licet Cor in alia parte consistens conteratur su-  
bita vi, ne vel tantillum temporis viuere possit.

### Causam quoque affectuum.

Obscuritas  
ex dictione  
insueta.

**D**ictione monstroſa, ut mysteria videantur eloqui,  
palpum plurimi Nouatores ſuis lectoribus vel au-  
ditoribus obtrudunt: quos non docent, ſed ludificant.  
Quò enim magis à vulgari & conſueto loquendimo-  
do recedunt, eò ſeputant ſapientiores. Hinc quiſen-  
ſus ſit pronunciatorum, ſæpiſſimè diuinare cogimur.  
Id quod etiam hoc in textu contigit. Per Affectus  
namque Morbos ſeu Symptomata Disputatorem in-  
tellexiſſe, primū existimabam: verūm incidentis for-  
te fortuna in Jac. Schegk. *comment. in art.par. Galen. c.28.*  
ex quo hunc locum transſcripsit Disputator, de animi  
affectibus, contra omnium Medicorum conſuetudi-  
nem, iſum loqui, demùm cognoui; qui per Affectum  
ſimpliciter & absque omni respectu poſitum ~~mv òqeξw~~  
nunquam intellexerunt.

### Nam cum sub Peste.

**H**Oc Nam cum probationem quidem aliquam  
eorum, quæ dicta ſunt, denotare videtur: ſeu Pro-  
ſyllogiſmuſ aliquem, vel Propositionis aut Assumpti  
confirmationem. Sed reuera alterum ſeu ſecundum  
hoc

hoc est argumentum, Cor Pestis esse Subiectum demonstrans: cuius forma talis est. Cuiuscunque partis actiones in morbo aliquo concidunt, hoc est, non tantum ægræ, sed etiam turbatæ sua præstant officia, aut in totum illa præstare desinunt, & quidem per se, ac citra partium aliarum omnium φαγόμενα διπονηθεῖσης; ea illius morbi est Subiectum. Atqui in Peste omnes actiones Cordis concidunt per se; reliquis partibus omnibus per se saluis & integris. Ergo Cor est Pestis Subiectum. Assumptionis nos probationem desideramus: & solius Cordis actiones in Peste laefas esse, re-  
*Non solum*  
 liquis omnibus partibus per se suis & integris, ob rati-  
*Cor in Peste*  
 ones supra à nobis allatas, negamus. Optimè se habe-  
 realiquid pro sua natura, ex ipsius functionibus intel-  
 ligitur. *Galen.lib.1.de Temperam.cap.6.* De Cordis itaque  
 constitutione ex ipsius actionibus propriis iudican-  
 dum: quæ sunt Spiritus Vitalis generatio, eiusdem  
 quæ ad omnes corporis partes mediantibus arteriis  
 transmissio: & his inseruiens Pulsus ac Respiratio. Hæ  
 Cordis actiones, ut & omnium aliarum partium, trifariam Iæduntur, *Galen.lib.3.de Symp.cauf.cap.1. & 2.* aut enim abolentur, aut deficiunt, aut depravatæ fiunt.  
 Cùm imminuuntur aut depravantur, tūm non est ne-  
 cessile morbum morte commutari: easdem autem sub  
 Peste, seu laborante adhuc ægro, aboleri ac in totum  
 cessare, quemadmodum Disputatori videtur, est im-  
 possibile.

## Vegetatione quoad participant.

**P**osito, sed non concessō, alias omnes corporis partētes, non nisi propter Corpaci, ac malē habere: non tamen sequitur, naturales solum seu Vegetabiles prædictarum partium actiones esse læsas. Id quod etiam Disputator, parūm constans, & fortassis de Veritate non multūm sollicitus, in thesi tertia affirmat, scribēs, in Peste omnes corporis vires, præcipue autem Vitalis, & propter has reliquas omnes elanguescere ac concidere. Varia siquidem ac diuersa Sensus, Motus ac Rationis Symptomata, quæ ut plurimum Peste affectis accident, ad nutritionis seu Vegetationis vitia vel le referre omnia, non nisi summè impudentis, & lectorum oculos animumquę fascino inani perstringentis est. Considereret quæso Lassitudinem cum Iactatione, quam inter Signa Pathognomonica primum esse voluit, in thes. 3. & quam in præsentia ineptè Pigritiam & obtusitatem vocat: & eam Vegetationis vitium esse ipsem et negabit. Meridianā siquidem luce clarius est, eam ad Animalium functionum, Motus scilic. ac Sensus, noxam referri: nec ex defectu caloris influentis viuifici ac spirituum vitalium, sed ab alijs causis oriri: quas supra in examine theseos tertiae monstrauimus.

Φαινόμενα δύσουμβεβηκέται.

**R**ecentiores Medici, scribit Gal. i. prognost. 27. ea quæ non existunt, solent δύσουμβεβηκέται seu non accidentia nominare, quæ affectum in parte illa non posse inesse declarant: veluti absentia doloris in Hypochondriis, ea saluberrima esse ostendit. Si itaque non existunt δύσουμβεβηκέται, quomodo Φαινόμενα esse aut dici possunt? nisi & ea quæ non sunt, sensibus nihilo minus

minus apparere, dicere aut potius nugari velimus?

# EXERCITAT. AD T H E S I S V.

**D**E Materia seu Subiecto Pestis hactenus. In præsenti capite de Efficiente ac Formali Pestis causa disserit: & primùm nugatur, dum Formalem Pestis causam ab eiusdem essentia, seu ab ipso morbo distinguit, & alia Formæ, & Morbi ipsius alia esse Phænomena tradit. Cùm tamen ipse met in progressu Formā ab Essentia Pestis nō discriminet, & Phænomena quæ Efficientem indicant causam, cum iis quæ Formæ sunt, confundat: ut ita in omnibus ac semper sibi maneat similis Disputator. Ad causas itaque, Efficientem & Formalē Pestis quod attinet, has esse qualitatē & dyscrasiam Pestiferam, malignā, venenatā, occultam, rationibus quas *Phaenomena* appellat, docet sequentib. Quia primūm Pestis non nisi Cor inuadit, eiusq; vires omnes prosternit. II. quia nō quantitate, sed qualitate Cor cōficit, corrumpit, hominemq; iugulat. III. quia hæc ipsa qualitas Cor quidē imutat, à Corpore verò vicissim nō imutatur, sed tantum expellitur. IV. quia inopinatā & subita morte è medio tollit laborantes, cum Cordis obscura, inæquali & inordinata pulsatione: cum sudore niuis modo frigido: crebrioribus animi defectionibus: cū interno calore ardente: formâ faciei horrida: Vrinâ turbida: certis corporis abscessibus. V. quia nō tolluntur Formales & Efficientes Pestis causæ, nisi Antidotis seu Alexipharmacis sua cōsubstantiali facultate qualitatē venenatā seu dyscrasiā emendantib. obtundentibus, seu cū sudore expellentib: & Cordis arteriarumq;

*De Efficiente  
& Formali  
Pestis causa  
sententia au-  
toris thesism:*

proprias crases reficientibus, restituentibusque. VI.  
 denique quia more aliorum Venenorum per Conta-  
 etum seu Contagionem abeat in actum secundum. Haec  
 rationes sunt quibus Qualitatem & Dyscrasiam Ve-  
 nenatam atque occultam, Pestis Efficientem & For-  
 malem esse causam, tanquam Apodicticâ Methodo  
 instructus, persuadere Lectori conatur. Nos quidem  
 Pestem Venenatum esse Morbum non negamus: rati-  
 ones tamen propositas ad id demonstrandum non es-  
 se sufficientes, multò minus Apodicticas, assērimus.  
 Ad PRIMAM enim quod attinet rationem, haec nec  
 Apodictica nec Topica, sed falsa est: & in Dialectico-  
 rum regulas impingit; in prima enim Figura maiorem  
 propositionem habet particularem. Vniuersaliter  
 namque accepta falsissima est: cuncti siquidem hac ra-  
 tione Cordis morbi, Palmus, intemperies ac febres o-  
 mnes, essent morbi venenati, & occulte quadam per-  
 nicie actotius substantiae proprietate Cordis crasi pro-  
 priæ aduersi. Nec Verum est Venena ac Venenosa  
 Cordi soli esse inimica. Etsi enim vitæ causæ potissi-  
 mūm opponatur Venenum, neque id quoquis modo  
 aut effectu, sed antipathiâ determinata, quæ est in cō-  
 stitutione & crasi cuiusque propria, hincque depen-  
 dentibus viribus & passionibus, quas alij formales ap-  
 pellant, siue mors sequatur, siue læsio duntaxat, quæ  
 tamen morte finiri possit, si motus vltterius processe-  
 rit: Vitam tamen non minus in singulis membris po-  
 nimus suam, ac in Corde: nisi quod hoc insuper actū  
 generalem habet, quo Spiritus ad vitam necessarii ge-  
 nerantur; & quo cessante, necessè est potentias reli-  
 quorum impeditas hærere, & vna emuri. Hinc vita  
 sua.

*Qua refutatur.*

*Venena non  
soli Cordi  
inimica.*

*Vita non in  
solo Corde.*

sua est Cerebro, est Hepati, Pulmonibus, Vesicæ &c.  
cuiuscunque ergo naturam seu potius *περιστοι* propriā,  
quæ cuiusque *οντης* seu *εργάτην* *ὑλην* constituit, totius  
substantiæ dissidio aliquid destruit, id eius est Vene-  
num. Quemadmodum enim sunt Medicinæ, quarum  
aliæ, ut patet ex Galen. lib. 1. de comp. medic. *καὶ* *γέν. cap. 1. ἐ* *li.*  
*de Theriac. ad Pison. cap. 6.* præcipue Cordi opitulantur; a-  
liæ Cerebrum & caput juuant; aliæ ventriculo præci-  
puam opem ferunr; aliæ Iecinoris, Lienis, Renum, &  
aliæ aliarum partium sunt medicamenta propria: ita  
etiam in Venenis tales reperiri proprietates affirma-  
uerim, & pleraque venena esse, quæ quasdam partes  
corporis priuatim vitiant, ob antipathiæ cuiusdam  
singularis occultum interuentum, propter quam hæc  
his, alia aliis corporibus & membris noxia sunt. Nec  
mouet nos *πλυπεράχυμων* Th. Eraustus, qui satis quidem  
friuolè, sed non satis pro dignitate, negat quidpiam  
vnimembro noxiūm esse, quod non & alteri aduerse-  
tur: quasi omnia membra in uno corpore essent eius-  
dem naturæ; nec proprijs crasibus ac formis differ-  
rent singulæ partes. Ex nostris etiam partibus stat ex-  
perientia varia & quotidiana. Venenata illa aura, quæ  
tertiam Epilepsia speciem efficit, *de qua Galen. libr. 3. de*  
*loc. aff. cap. 7.* non Cordi sed Cerebro venenum est. Ve-  
nenum quod Arnulfus Imp. contra Guidonem Fran-  
corum Ducem cum multis copiis Longobardiam in-  
gressus, corruptis à Guidonis Coniuge ministris, hau-  
fit, Cerebrotantopere fuit aduersum, ut Lethargo  
correptus postriduum vix excitari potuerit. Sic in Æ-  
thiopia Elephantina sontes Ophiusam herbam biben-  
tes, ita terroribus & falsis imaginationibus afficie-

Error th.  
Errasti.

Sunt Venena  
etiam alias  
partes περι-  
τως inuaden-  
tia.

Cicuta vis in bantur, ut ipsimet mortem sibi conciscerent. Cicuta Cerebrum. Cerebro est Venenum. Matthiol. comment. in præfat. lib. 6. Diosc Stultitiam enim potui dada efficit. Galen. libr. quod anim. mor. seq. corp. temp. cap. 3. Expertus hoc est Franc. Trapolinus Pomponatii præceptor, attestante Scaligero exercit. 152. 1. qui loco Petroselini ab ancilla in iuscula posita Cicutæ folia hausit, & amens periiit. Idem accidit Nazario Bassano, quem radix Cicutæ pro Petroselino sumta itidem amentem fecit. Solus Socrates in Platonis Phædone, sorbitio tollit quem dira Cicutæ, ad extremum usque spiritum integra mente permansit. Leporem marinum Pulmonibus, & Cantharides Venicæ Vrinariæ, venenum esse, Galenus lib. 1. de comp. med. per gen. cap. 1. & lib. de Theriac. ad Pisonem cap. 6. & Auicenna lib. 4. feni. 6. tr. 1. cap. 2. docent. Disputator in discursu suo de morbo Gallico sub alieno nomine edito, Venenum Gallicum Venarum & Hepatis crassi oppositum esse scribit. Idem circa alias corporis humani partes contingere, post illos, qui de Venenis ex professo commentatis sunt, testatur ipsa experientia. Quapropter verum non est, Venena non nisi soli Cordi totâ sua substantia repugnare: ad quamcunque enim dominantium partium venenum peruerterit, tum mortis periculum homini instare, Galenus libr. 3. de loc. aff. cap. 7. docet.

SECVNDAM rationem non per omnia admittimus. Etiamsi enim *piadopala* seu inquinamenta & seminaria Pestilentialia Cordi, eiusquè proprio téperamento venenatâ ac malignâ sua qualitate, sunt aduersa: id tamen cum aliis etiam agentibus naturalibus, etiamsi venenata non sint, habent commune, ut Qualitate

Venena as-  
gunt qualitas-  
te, non quan-  
titate.

tate sua per se agant. Non enim Quantitate, quæ *vt P. Fonsec.lib.5. Metaphys.cap.2. quest. 6.f.4. docet*, actiua non est, seu *vt I. Scaliger exercit.352.1. scribit*, nihil agit; sed Qualitate, *vt P. Melanthon. tradit*, substantia operatur. Hæc tamen Qualitas absque conuenienti Quantitate illius substantiæ cuius est qualitas, efficax esse non potest. Ignis calefacit quidem qualitate sua congenita, sed non sine quantitate debita: minima enim eius portio, verbi gratia, *vt Galenus lib.3. de Temperam. cap. 4. scribit*, centesima vnius scintillæ pars non calefacit, imò ne sensum quidem ullum sui excitat: quemadmodum & Deteria, *vt Galenus ibid. docet*, vbi planè minimâ quantitate exhibentur, nullam inferunt sensibilem noxam. Sunt quidem rerum quarundam vehementissimæ vires, quæ in minima quantitate maximos habent effектus, *vt Galen. lib.3. de loc. aff. cap. 7. & lib.6. cap.5.* exemplo Phalangii & Scorpionis docet. Phalangium enim ex Araneorum genere paruum animal, vbi aliquem momordit, exiguo veneno per minimum foramen, quod vix conspici potest, iniecto, totum corpus tam vehementi mutatione afficit, *vt quispiam non crederet*, nisi sæpenumero id accidere videret. Sed longè maiori admiratione dignus est tantillus Scorpionis ictus, cuius aculeus in parte extrema est acutissimus, ita *vt nullum in ea foramen appareat*, per quod venenum eiaculari possit: breui tamen admodum tempore commorsis cum graui animi defectione vniuersum corpus veluti *grandine* percuti videtur.. Non tamen omnium par *Venena vñ  
amica.* eademquè est venenorū vehementia: siquidem repe-

reperiuntur, quæ ut non tam citò agunt, ita in mini-  
ma quantitate nîl operantur, nec assumentes laedunt:  
id quod Anus Atheniensis, cuius apud omnes perce-  
lebris memoria est, experimento proprio docuit. Et  
enim ea ab exigua Cicutæ portione auspicata, nullo  
detrimento ad permagnam progressa est copiam: *ut*  
*videre est apud Galenum. lib.3. de simpl. med. fac. c.17.* Siue i-  
taque in magna, siue in parua quantitate, vel minima,  
agunt venena, nunquam sine quantitate agunt, cui  
proportione sua respondet qualitas. Hinc sine quanti-  
tate, illa medicamenta quæ naturam habent exitia-  
lem, nocere non posse, *Galenus 2. aphor. 17.* scribit.  
Quod autem Galenus, *lib.3. de simpl. med. fac. cap. 17. & libr.*  
*5. cap. 19.* venena frigida non qualitate, sed quantitate  
agere, docet id cum limitatione intelligendum est:  
hæc enim non secus ac alia Deleteria proprietate qua-  
dam, ac totâ, quod aiunt, substantia, naturæ nostræ  
sunt aduersissima, & si quantitate solùm interimerent,  
deleteria non essent nominanda: quia tamen non sunt  
ita vehementis actiuitatis atque alia, ideo in maiori  
etiam quantitate, si nocere debent, ut applicentur  
passo, necesse est: in maiori siquidem quanto, maior,  
*ut aiunt, est qualitas.* Comparatio quam cum Peste  
& efficacissimo Phalangi veneno verbis I. Schegkii ex  
*lib. de occult. med. fac. cap. 2. fol. 113.* instituit, claudicat ex v-  
troque pede, & momenti est nullius. Absque mole, id  
est, magno & ingenti pondere omnia quidem venena  
laedunt: non tamen absque omni quantitate, *ut paulò*  
*priùs ex Galeno 2. aphor. 17.* tradidimus: pro maiori e-  
nīm ac minori virium efficacia, ac vehementia, maio-  
rem alia, & alia minorem, vel minimam, quæ inter-  
dum

dum non animaduertitur, quantitatem ( Corpoream, quantitatem appellat Disputator, qui fortassis quantitates extra corpora in Anaxagoræ abyssō naturæ vidit) vt lădere possint, requirunt. Id quod in Pestilenti veneno maximè est conspicuum, Cum enim id ex illorum venenorū numero sit, quæ ut *Disputator* sequente thesi, & in *discursu suo de morbo Gallico* fol. 14.15. ex I.Schegk. comment. de morb. substant. docet, non κατὰ φύσιν suis subiectis insunt, sed παρὰ φύσιν à causis præternaturalibus generantur, & corruptelæ quædam sunt rerum naturalium: ac propterea pro subiectorum diuersitate ac corruptionis modo, magna in his sit priuitatis seu malignitatis disperantia, ac copiæ veneni diuersitas: id eo Pestis quædā leuior, alia grauior alia grauissima, cū ob perniciē veneni mitiorem, aut vehementiore, tūm ob eiusdem minorem vel maiorem copiam. Quapropter] quantitate etiam huiusmodi venenosa pudicitia æstimare decet prudentem Medicum: exemplo authoris lib. de natur. hum. qui vbi νοσεῖν διπλεῖσι seu aër infectus morbi Epidemicī causa est, prouidendū monet ὅκως Επιένυματ Θελαχίην ή πόσοις εστὶ σώμα εσίοι, vt paucissimus sit aëris influxus in os, hoc est, vt ipse met subiungit, vt parcè minimequè frequenter homines attrahant aërem [quantitatē hīc respexit, quod non fecisset, si Pestilens venenum absque quantitate esset efficax] καὶ οὐς ξενότερην εἴη, & vt aër quem attrahunt, sit maximè peregrinus seu alienus ab infecto aere[ qualitatē hīc innuit.]

T E R T I A ratio nulla est. Vt enim falsum est, Venena propriè sic dicta à Corpore animato non mutari; ita falsissimum est, virus pestilens nō immutari nec al-

*Etiam quantitas Veneni Pestilentis Medico atendenda.*

terari à calido natiuo partium solidarum, sed tantum expelli, & nō expellatur, cum saeuissimis Symptomatibus subito ac inopinatō ægrum mori. Ad alia namque Venena, ea præsertim quæ non πηγὴ Φύσις, sed φύσει esse, ac substantialibus quibusdā δυνάμεοι prædicta dicuntur, quod attinet, certum quidem est ea difficilimè immutari, hoc est, vincere seu superari à calido natiuo, naturæ instrumento: cùm enim toto genere sint deleteria, grauia & naturæ animalis corruptentia; ideo Galenus lib.3. de Temperam cap. 4. ea nulla substantia suæ mutata parte, sed tota seruata integra corpus af-

Natura om-  
nino in vence-  
num agit.

ficere scribit. Non tamen id per omnia probamus; nec naturam in papaueris succum, ut ibidem legimus, ne una quidem qualitate, multò minùs totâ sua substantia, quicquam agere posse, concedimus. Siquidem Galenus ipse libr.3. de simpl. med. fac. capit. 17. contrarium docet; & papaueris succum, Cicutam & alia frigida Deleteria seu venena perpeti vicissim non nihil à calido natiuo, imò concoqui etiam, affirmat. Natura enim animalis haudquaquam quiescit, Galen. 4. vici. acut. 42. & semper necessariis sibi operis vacat, nunquam torpet, aut negligens est. Galen. libr. 1. de diff. respir. capit. 12. & nisi ageret in ipsa etiam venena, hæc non agerent vicissim in corpus, quoniam non reducerentur de potentia ad actum: mutationis siquidem principium à nostro calore adipiscuntur. Galen. libr. 1. de simpl. med. fac. capit. 11. Omnes qualitates in se mutuò quadam tenus agere, rursum Galenus lib.3. simpl. med. fac. cap. 17.. scribit. Et omne agens vicissim pati aliquid à paciente, etiam si fuerit multò potentius, Arist. li. 4. de gen. an. c. 3. & ex ipso Galen. lib.3. de sympt. caus. c. 2. docet: quod etsi ad primam

applicationem forsitan latet, temporis tamē progres-  
su facile apparet: quemadmodum gladius acutissimus  
hebetatur à carne vel cera mollissima quam secat: ac  
durissimum lapidem aquæ gutta, si diutius in eum de-  
stillauerit, excauare potest. Hac ratione fit sæpè, ut  
Opium & alia frigida appellata venena, non modò  
prout φύσις sunt, sed etiam arte ad maximam subtili-  
tatem redacta, perpetiantur à calido nativo plurimū,  
a comminò vincantur & superentur. Hoc Medici nar-  
coticæ suis ægris propinantes medicamenta, experiū-  
tur quotidie: expertus etiā est Aurelius Antonius Im-  
perator, qui ex frequenti & quotidiano Theriacæ op-  
iatæ vsu, inter vitæ functiones quoq; profundo somno  
corripis solitus est, absq; detrimento; naturā, vti scribit  
Gal.li.1.de antidot.c.1.vim Opii vincente. Mithridates, te-  
ste Plin.li.25.c.2. quotidie præsumptis remediis venenū  
bibere solitus est, atq; id consuetudine sibi innoxium  
reddidit. Cùm enim lenta & moderata, vt Ioh. Langius  
li.1.ep.12. docet, primū vescendi venena consuetudo  
accesserit, ea quoq; in corporibus humanis digeri & in  
alimoniam cōuerti, nemo mirabitur: cui namq; assue-  
facta spatio sumentis natura erit, eius vim contemnet.  
Gal.li.5.de sanit.tuen.ca.9. Sic Anus Attica, cuius supra ex-  
li.3.desimpl.med.fac.c.17. meminimus, consuetudine Ci-  
cutam sibi ita familiarem reddidit, vt eā absq; omni  
detrimento in permagna copia vesceretur. Et Auerroës  
in proëm.li.3.Phy.scribit, quos dā cōsueuisse comedere ve-  
nenū in tantū, vt esset eis cibus. Puella Na-  
pelli veneno nutrita, & puellarī venere decora, ab Rege  
Indorū, Alexandro Magno, dolo, muneri data dicitur:  
cuius scintillantes & serpentū more nictantes oculos

*Narcoticis  
quoq; natura  
se opponit.*

quum Aristoteles ipsius Præceptor vidisset: caue tibi ab hac, inquit, ô Alexander: hâc nempe tibi exitium paratur. Nec iudicio Aristotelis defuit euentus: nam plerique proci virginis commercio intoxicati interierunt. Auicenna lib. 4. sen. 6. tract. 1. cap. 2. ex Ruffo scribit, & post hunc Albertus Magnus de animal. lib. 25. cap. 2. huius puellæ saliuam etiam animalibus noxiā fuisse. Hoc scripsere, vti vetustissimum, scriptores vetustissimi. Sed & his proximis nostris seculis eadem venenis vescendi ratio penes quendam Cambaiæ Regem reperta est: quem ab infantia veneno enutritum ferunt, tantæquæ fuisse malignitatis, vt ipso halitus ac sputo interficeret: & Scaliger exercit. 175. 2. muscas quæ solo suetu cutim modò perstringerent, turgidas interfuisse, scribit. Nec non Lüdouicus Barthena Indic. rerum lib. 1. cap. 2. vix yllam ex Vxoribus suis, quæ illi commiseretur, mortem in diem proximam effugisse, refert. Et hæc de Venenis, quæ secundum Disputatorem φύσια producuntur. Ad Pestilens verò quod attinet Venenum, cùm naturalia illa Venena (F. Platerus Pestilens etiam venenum naturale esse vult, ab origine mundi in certis corporibus hærens. tract. 2. Praxeos.) nō modò à natuuo partium solidarum calore perse, aut ab Alexipharmacis adiuto, interdum vincantur, sed etiam in alimentum quandoque, vti diximus, hominibus

Ergo etiam Pestilens virus, quod plurimum mitius est Napello, Cicuta & similibus, à natura sola, aut ab arte adiuta alteretur, expugnetur ac euincatur? Et si medicamenta Dyscrasiam Pestilensem emendare & obtundere possunt, quemadmodum Disputator in hac eadem thesi loquitur: cur idem Naturæ

turæ negabimus, quæ sola morbos curat, *Hippoc. 6. Epid. f.s.t. 1.* remedia autem sunt instrumenta tantum naturæ operantis: & Medicus eiusdem Naturæ, quæ iuxta Galenum *lib. 1. de dieb. decr. cap. 11.* omnino sufficit, minister ac æmulus. *Galen. lib. de const. art. cap. 12.* & in art. medic. *cap. 87. lib. 1. Epid. 2. 45.* & *libr. 1. de dieb. decr. cap. 11.* Non eadem semper & ubique est Pestis malitia ac efficacia: tempore quietiam virus emarcescit: hæc interdum mitiore est, nonnunquam sœuissima; & propterea familiarius, aut difficilius vincitur. Ex iis etiam, qui in eodem aëre Pestilenti versantur, & eodem *μιάσματα* hau- riunt, non omnes æquè afficiuntur: sed ut iuxta Hippocratem *3. aphor. 2.* naturarum aliæ quidem ad æstatæ, aliæ ad hyemem benè vel male sunt cōstitutæ; ita quoque prout cuiusque corporis constitutio fuerit, aliud alio citius, aut omnino nō, hoc morbo corripitur, sed *νοσερὴν δύσκολην* vel *μιάσματα* venenosa, antequam ullam manifestam vel sensui perceptibilem noxam inferant, superat ac discutit. Ex iis verò qui Pestelaborant, hi statim pereunt, alii tardius, alii tandem euadunt: pernicioса namque vis tunc mitescit, & superatur ab eis, qui inficitur, naturâ, vel ex se sati validâ, vel ope *ἀλεξί*: *Φαγμάνων* roboretur. Ut enim Alimentum non modò vincitur à corpore, sed etiam vicissim corpus alterat: ita Venenum vincit quidem suâ naturâ corpus, alteratur tamen vicissim ab eo, & interdum planè vincitur. Nec est ut victoriā naturæ in sola expulsione sitam esse, statuamus. Conflictus ac pugna naturæ & morbi quæ in alteratione consistit ante utilem expulsionē requiritur: id quod Disputator veritate cōuictus ipse met fatetur, dum huiuscmodi expulsiones Criticas

*Idquæ non  
tantum ex-  
pellendo, sed  
prius alte-  
rando.*

appellat, nec bona esse, nisi Coctionis signa apparet, & in die fiant decretorio, scribit. Et ad quid de curatione Pestis tantopere sumus solliciti, viriumquæ robur tam anxiè obseruamus, si natura non nisi expellendo in Pestilens venenum, & ab eo introductam dyscrasiam, agit. Pro expulsione siquidem tanto non indiget robore, sed à morbificis causis irritata sàpè citius expellit, quàm conueniens & ex re ægrorum sit: id quod in Symptomaticis excretionibus indies experimur. Alexipharmacæ quinetiam non expultricem tantum, sed alterantem quoque naturæ facultatem iuuant, sine qua ne gry quidem antidota contra venena poslunt: et si enim hæc non cedant in alimentum, crasis tamen quadam temperata concoqui dicuntur, non ut corpus nutrient, sed ut tanquam *æterna* à sanguine separari & utiliter excerni possint. Quod de Pestilenti veneno diximus; idem de Epileptico, Venero & similibus dici etiam potest. Epilepticum enim, quod sua perniciosa qualitate stuporem quendam Cerebro inducit, non diu durat, sed insita Cerebri via oculis dissoluitur, vincitur ac dissipatur. Gallicum virus plurimis innoxium fuit, etiam si cum infectis rem habuere, aut lecto inquinato, vel vestibus infectis usi fuerint. Infecti vero vel ægrotantes, non iis solum quæ naturam ad expulsionem solicitant, sed quæ oppositâ occulta dyscrasia eidem veneno aduersa sunt, curantur. Eadem aliorum quoque est ratio.

QVARTVM argumentum quidpiam dicit, quod ad rem facere videtur; si modò rectius aut meli-

meliùs intelligatur, quām à Disputatore prolatum est. Quæ enim grauia ac lethalia Pestis Symptomata recenset, non in omnibus omnia apparent; & sunt Pestis cum aliis acutis & lethalibus morbis, etiam si nihil venenati habeant, commune. At in Peste, præter celeritatem & inuasionis modum, iudicii seu cri-  
seos difficultatem ac incertitudinem, oportet Sym-  
ptomata esse præter rationem grauia & horrenda;  
hoc est; cùm ex manifestis qualitatibus nulla adsit,  
quam horum causam esse consteret. Hoc videre  
est apud Hippocratem *libr. 1. Epidem. sect. 3.* in hi-  
storia ægroti noni, nempe Critonis: in quo Gale-  
nus, *ut patet ex libr. 2. de diffic. respir. capit. 8.* admirat-  
tus est mortis velocitatem & inopinatum tot acces-  
sionum concursum. Hominem scilicet ambulan-  
tem, & consueta vitæ munia obeuntem, primùm ex  
magno pedis digito vehementer dolere; cum hor-  
rore, anxietudine, febricula, prima nocte delirare;  
postridie totum pedem ad talum intumescere cum  
phlyctænis paruis, nigris, febri acuta furore, & me-  
racæbilis per aluum copiosa excretione, eâdem die  
mori, *Quis enim non intelligit, nec humorum co-*  
*piam ( id quod Galeno in comment. 1. Epidem. 3. con-*  
*stat placuisse ) nec caliditatem, nec acrimoniam,*  
*nec frigiditatem, nec aliam quamquam manife-*  
*stam, sed occultam & venenatam qualitatem, tam*  
*subitum Critoni interitum intulisse ? Galenus lib. 2. de*  
*diffic. respir. c. 8. cum Critone alium in Larissa Caluum,*  
*ex Hipp. 3. Epid. 3. 76. committit, & in euentuum celerita-*  
*te parem facit: & Critonem secunda die præter opi-*

opi-

*Mors in Pestē non semper inopinata etiam si subitatanea.*

opinionem suam, mortes scilicet in Pestē omnes esse inopinatas, credulis persuadere posset. Sed sciat is, non omnes in Pestē tam subitō mori: ne has subitanas mortes verè & semper inopinatas dici debere, propterea quòd imprudentioribus inopinatæ esse videantur. Hinc Doctissimus Hieron. Mercurialis, *in comm. in histor. Critonis*, se non credere profitetur, Hippocrati in cognoscendis morbis, eorundemquè exitu præuidendo solertissimo hanc mortem inopinatam visam fuisse; & mortem citō ad futuram ipsum prius non cognouisse. Sunt quidem prædictiones salutis & mortis, ut in aliis morbis acutis non omnino certæ, *Hippocr. 2. aphor. 19.* ita in Pestē incertissimæ; cum ea acutus quoque morbus sit, & occultâ vi Cor vitalesquè spiritus aggrediatur. Hinc vana spe vanoquè metu variè Medicos eludit. Aliquando namque fit, quemadmodum etiam in examine theseos decimæ quartæ monebimus, ut omnes facultates integræ videantur, consurgat & ambulet æger, edat & mente sit illæsfæ, nullumquè sentiat in vlla parte dolorem, qui tamen paulò post mortuus concidit. Non tamen idcirco omnes omnino exitus in Pestē inopinatos statuere oportet, & omnem Prognosin in dubium vocare. Monere saltem voluit Hippocrates iuniores aut rudiores, ne temerarii & præcipites sint in prædicendo morborum quorumcunque euentu; eorum præsertim, qui occultam virulentiam habent; in quibus quandoque falli etiam industrios & sagaces Medicos contingit.

QVINTVM argumentū alicuius est momenti: & de eo, vbi ad curationis examen peruentum fuerit, forte agemus. In præsentia vnicum errorem notandum du-

ximus:

*Prædictio-  
nes in Pestē  
incertæ.*

ximus; dum videlicet non prius tolli Pestem afferit,  
 quam *ἀλεξιφάρματα* decernantur in animo Medici;  
 quæ per os ægro propinentur, aut exterius cuti appli-  
 centur: cùm econtra, absque ullo huiusmodi alexi-  
 pharmacorum ysu nonnullos à Peste liberari, sàpè ex-  
 periamur. Interdum si  
ne medicis  
Pestis  
euaneſcit.

P O S T R E M V M argumentum leue, friuolum &  
 manifestè falsum est: ut mirari satis nequeam, Homi-  
 nem literatum & qui in docenda ac facienda Medici-  
 na consenuit, ad huiusmodi ineptias, quas ne pueri  
 quidem in Scholis si affererent, impuniti abirent, de-  
 uenisse. Gregorius quidem Nyssenus olim, & nuper  
 Hieronymus Perlinus Medicus Tridentinus, nullum  
 dari in morbis Contagium, docuère quorum alter in  
 Præludio suo seu Declamatione aduersus morborum  
 Contagionem, impiam ac deplorandam Italorum ti-  
 miditatem, & detestandam præseruandi ab imminen-  
 te Peste Vrbes ac Prouincias consuetudinem, satis pa-  
 theticè describit. Verum cùm quotidiana experien-  
 tiâ horum euincatur ac refutetur opinio; Contagiosos  
 quidem concedimus multos morbos, & Pestem nulli  
 contagiosorum morborum cedere affirmamus. Est e-  
 nim inter contagiosos morbos Contagiosissima Pestis;  
 ac Propterea Peste laborantium conuersationem pe-  
 riculosam esse, ne inde contagium, quemadmodum  
 ex Scabie & Lippitudine, contrahatur, cum Galeno  
*lib. 1. de differ. febr. cap. 2.* afferimus: infinitis siquidem pe-  
 nè modis Pestem habilibus subiectis communicari, e-  
 uentus docuit. Non tamen propterea omnes morbos,  
 qui Contagiosi sunt, etiam Venenosos esse; nec omnia  
 Venena esse Contagiosa, concedimus: quæ enim, vt

Disputator loquitur, *κατ' εὐτελέχειαν* agunt yenenā, Contagionis sunt experitia omnia. Sed ne idem sēpiūs repetere cogamur, nos omnia quæ Disputator in hac & sequentibus thesibus de Contagio habet, hoc in loco examinabimus; ea primūm proferentes, quæ apud plerosque Medicos de Contagione in confessō & extra controuersiam sunt. Medici Contagium esse aut fieri dicunt, cum consimilis ab uno subiecto in aliud propagatur affectio: ut & cui corpori Contagium importatum est, & à quo dimanauit, consimile in ipsorum amborum substantia vitium insit: ita ut agentis corporis affectio non *κατ' εὐτελέχειαν*, sed *όμοιωσις* operando, consimile in corpore paciente generet *πάθος*; quod rursus consimilem sibi sobolem in habili subiecto gignit, quæ in tertium deriuatur, ac deinceps in dispositos quosque serpit, ferocitquè: mediantibus Seminariis, totam in se morbi essentiam instar seminis cuiusdam comprehendentibus: quæ Hippocrates *μιδοματα* & *νοσερὴν διπόναιον lib. τετρατον* lib. 2. *φυσων.* & libr. 2. de nat. human. & Aristoteles *sect. 1. probl. 7. ταίνιαντα*, Galenus autem *αἰαθυμίαν in libr. 2. de natur. human. text. 4.* & (in specie de Contagio Pestilenti loquens) *σπέρματα* *ταὶ λοιμῶν libr. 1. de differ. febri. cap. 4.* Alexander Aphrod. *λοιμών απόρροιαν*, vocat. Hinc Contagium est Seminiorum morbosorum similem affectum gigne re valentium à corpore infecto in aliud aut plura cor pora analogiam cum illis habentia transitus & communicatio. Quod semen seu Seminarium non est qualitas nuda, sed vapor quidem seu exhalatio, non vulgaris, sed disseminata à corpore infecto, subt.

*De Contagio  
disputatio.*

*Contagii  
descriptio  
αἰαθυμή-*  
*υη,*

*Brenior &  
αἰαθυ-  
μένη.*

subtilis seu tenuis, acuta, lenta & validissimæ mistio-  
nis. Hinc agens seu corpus à quo seminaria prodeunt,  
eo ipso morbo, quo aliud per Contagionem affici di-  
citur, necessariò laborat. Nec in omni Contagio con-  
tractus requiritur: etsi enim seminaria absque con-  
tractu nullum corpus afficiant: corpus tamen, à quo  
illa *μιαστα* exhalant, non necessè est patiens cor-  
pus semper tangere, aut iuxta Aristotelem *libr. 5.*  
*Physic. capit. 3. text. 22.* & *libr. 1. de ort. ac inter. capit. 6.*  
*text. 44.* eorum extrema simul esse: siquidem sæ-  
pissimè corpus aliquod ab alio longo satis locorum  
interuerso distante, mediante seminario, seu mor-  
bida excretione, quæ vel aëri, vel alio alicui fomi-  
ti inhæret, inficitur: quemadmodum Pestis *μιασ-*  
*τα* ex Ægypto in Græciam fluxisse, Galenus *libr.*  
*1. de differ. febr. capit. 4.* scribit. Hæc communis  
Medicorum de Contagione est sententia: nunc quo-  
modo Disputatori cum iis conueniat, videamus.  
Is in hac & sequentibus thesibus, octaua videlicet  
& undecima, scribit, quòd Pestis more aliorum ve-  
nenorum subiectam habile & inficiat, & per affec-  
tionem ac contagionem corrumpat, semper &  
promptius, quam morbi alii omnes. Contagio-  
nem item esse per pessimum quandam & affectio-  
nem, quæ fit contractu non Mathematico, sed Phy-  
sico duorum corporum, quorum alterum propter  
communicationem motus cuiusdam agit, & alterum  
patitur contra naturam. Et quòd tangens seu affici-  
ens *νίσθησις* quoddam corpori patienti conferat, vel  
transmissione solius qualitatis, vel vaporis, fulignis  
aut alterius alicuius rei corporeæ, infectæ tamen,

communicatione. Hæc egregia Apodictici Disputatoris de Contagio est doctrinæ: de qua alij Medicine per somnium quidem cogitarunt. Quis enim vñquam ἀφῆ Tactum vel Contactum cum Contagione confundere ausus fuit, præter Academicum nostrum Disputatorem? I. Schiegkius quidem, nescio qua autoritate aut licentiâ Academicâ, vocabulis rerum interdum abutitur: in commentariis enim *in prædicament.* Aristot. cap. de Relatione, & *in 1. prior. analyt. cap. 8.* per Contagionem intelligit ἀφῆ Tactum vel Contactum Physicum: & *in comment. in cap. 6. lib. 1. de ort.* & interit. & *in prædicam. cap. de Qualitat.* Contagio ipsi idem est, quod Physicis vocata Reactio, seu mutua actio & passio: & *in disput. de purgant. medic. fol. 195.* per Contagionem intelligit simplicem alterationem. Res tamen ipsas iis nominibus significatas, quantum ego quidem sciam, nunquam confudit: neque Tactum Physicum & Contagium Medicum, propter quod morbi quidam dicuntur Contagiosi & per Contagium inferri, pro vna eademque re habuit. Quod autem Disputatori idem sit Tactus & Contagium, probatione indiget nulla: & qui eam requirit, aut rudis planè est, & quid Tactus ac Contagium sit, planè ignorat; aut Disputationem Academicam non legit: quem tamen laborem Lectori, ad vmbilicum libri imponemus. Definitio namque Contagii, quam in thesi vndecima proposuit, omnibus naturalibus actionibus & perpetrationibus, quæ per contactum fiunt, competit. Sit nobis, exempli loco, combustio ligni ab igne: h̄ic duo sunt corpora sese Physicè contingentia, quorum alterum, Ignis nempe, agit, & alterum, vt pote Lignum, patitur: Ignis item ~~m̄jor~~  
quod

Contagio &  
contactus  
differunt.

Definitio  
Contagii nō  
mislata.

quoddam Ligno confert, calorem scilicet in summo gradu, à quo corruptitur. Eadem est aliorum absque Contagione agentium ratio. Et hic primus circa Contagionis naturam Disputatoris errore est.

Secundò idem errat, dum Contagium Perpeſſione definit, cum potius Actione sit definiendum: siue enim pro qualitate seu vi quorundam morborum, quâ alios om̄os contaminant; siue pro seminariis, quem admodum Disputator *in theſi 2.*; siue pro ipsa motione, seu morborum mediantibus seminariis propagatio-ne, Contagium accipiatur; semper potion Actionis, quām Passionis in iis habenda est ratio: et si enim vna numero est agentis & patientis ἐνέργεια, illa tamen cū-reλης est, & hæc ἀτελης, vt ex Aristotelis Metaphysicis patet.

Tertius error est, dum corpora sese contingentia propter communicationem motus cuius-dam agere & pati affirmat. Actio quidem & Passio non sunt absque Motu, non tamen sunt propter Motum ipsis communicatū, sed propter agentium & patientium naturā, vt mouere & moueri possint. Quod si per communicationem motus cuiusdam Contagium intelligit; neque hic per se actionis & passionis est causa; sed causa sine qua non possunt agentia & patientia naturalia agere aut pati: quemadmodum Iac. Schegkius lib. 15. de Demonst. docet Agens quippe & patientis naturalia sic sunt comparatae, vt quando sibi mutuo appropinquarint, & proprius coierint, vt potentia & facultas utriusque in actum permutari queat, ne cessē sit hoc quidem agere, illud verò perpeti quidpi-

am; eodem I. Schegkio in comment. in libr. *ad Epum atque stante.*

*Contactus in etum duorum illorum corporum, insufficientis nempe & eius quod inficitur, requiri. Ex superius namque dictis patet, sæpiissimè, in Contagio scilicet per somitem & ad distans appellato, corpus quod inficitur ab insufficiente longo satis locorum intervallo distare.*

*Quod si Disputator dixerit, etsi duo illa corpora sese non semper contingant, patiens tamen corpustunc à vaporibus seu seminariis, quæ etiam substantiæ corporeæ sunt, necessariò contingi, & sic Contagium fieri: tunc nos adhoc refugium regerimus, id verum quidem esse, quod in omni Contagio patiens corpus aut à corpore infecto aut à morbidis excretionibus vel exhalationibus, necessariò attingatur: hæc tamen non fuit mens Disputatoris, vt pote qui corpora sese tangentia, ab exhalantibus inquinamentis, ac transmissis vaporibus & fuliginibus infectis, vel potius insufficientibus, in thesi vndeclina expresse separat & distinguunt. Aliud itaque refugium ut quærat necesse est: hic namque præclusa ipsi est via.*

• Quintus error, & quidem sicco non prætereundus pede est, dum generalem Contagionis definitionem, prout omni seu vniuersæ Contagioni competit, speciei cuiusdam differentiâ contrahit, nec generis communitatem explicat, sed derepentè præcipiti saltu ad Contagium Pestilens delabitur, & Pestilentem qualitatem pro differentia ponit, ac si sola Pestis contagiosa, & seminaria contagio-

osorum morborum non nisi Pestilentia essent.

Sextò errat, dum in Peste interdum solam qualitatem pestilentem ab agente in patiens transmitti tradit. Non quidem negamus, quædam agentia naturalia qualitatibus quibusdam à se diffusis in patientia corpora, efficacia esse: in Contagione tamen alia ratio est, in qua agentia quibusdam *σωματικής* patientia afficiunt. Ii siquidem solummodo morbi contagione multiplicantur, inquè alios propagantur, qui *ut Thom. Erastus in disput. de Contagio thesi 20. scribit*, vel halitus expirant, vel alia corpūscula procreant, totam in se morbi essentiam instar seminis cuiusdam comprehendentia. Hinc superius mediantibus non qualitatibus nudis, sed inquinamentis & morbidis excretionibus, quæ licet tenues ac ferè insensibiles, corporeæ tamen sunt, contagiosos propagari morbos diximus.

Postremò errat, dum cum Iac. Schiegkio in *disp. de purgant. medic. fol. 195.* Venena per Contagionem abire in actum secundum, & subiectum habile inficere ac corrumpere docet. Nullum namque ex illis venenis, quæ *νατ’ ἀπλέχειαι* agunt, per contagionem propagari, ex eo evidentissimum est, quod illa non eandem habent quam faciunt qualitatem; seu, quod non eiusdem speciei qualitas in iis est quallem in patientibus producunt: quæ verò per Contagionem afficiunt, *Φθορωτοῖν* qualitatem actu in se continent, eamque, ut cum Disputatore loquar, non *νατ’ ἀπλέχειαι*, sed *ἰρωτῶς* vniuocè corpori patienti, ut supra dictum,

communicat: & eiusdem speciei māḡ inest in agente, quale patienti communicatur.. Præterea neque omnia illa venena , quæ ex corruptione rerum παρὰ φύσιν generantur, Contagiosa sunt, aut per Contagionem corpora afficiunt: etiam si enim quædam vaporess quosdam ex se mittunt; euaporatio tamen illa non est verè νοσερὴ διπλεῖσις; & destituitur virtute corpora analogæ, quæ debito modo contingit, corrumpendi; nec in se morbi essentiam, instar semi-nis cuiusdam comprehendit. Hoc patet exemplo Suffocationis Vterinæ, & aliorum quorundam morborum, qui ex interna humorum corruptione, ac inveneni naturam transmutatione, oriuntur; nec tamen per Contagionem aliis communicantur: aliâs conuersatio huiusmodi ægrorum non esset admodum tua-  
ta. Et hæc de Contagio.

## E X E R C I T A T . A D T H E S I S VI.

Praesentia capite, quibus Venenis Pestilens venenum sit annumerandum, docet: imò non docet: sed rem spinis quibusdam ac verborum portentis, velut ænigmatum inuolucris datâ opera implicat] ac inuoluit: quò fortassis plus sapere, aut doctior acutior è aliis esse videatur: vel ne prophana turba mysteria Dictatoris assequatur.. Ne verò nimis anxiè aut curiosè in omnia animaduertere velle videar, consultò præteribo plurima. Interalia hoc primum notandum duxi, Disputatorem sàpiissimè abuti termi-

terminis Philosophicis, Metaphysicis imprimis: iisq; *Abusus tero*  
*contra Philosophorum*, & potissimum Aristotelis *minorum*  
*mentem*, ac loquendi aut scribendi consuetudinem, *Philosophie*  
*insolitas ac minimè visitatas asiluere significationes: id* *corum.*

quod hoc in loco, in terminis, κατ' ἐντελέχειαν δύναμει &  
 ἐνέργεια, luce meridiana clarius est. *Ἐντελέχεια* enim,  
 ab Aristotele novo nomine appellatam, *Cic. 1. Tuscula.*  
 ac δύναμιν, tanquam nomina essent vnius eiusdemque  
 rei, coniungit, & utriusque ἐνέργειαν opponit: cùm Ari-  
 stoteles contrà ubique locorum ἐντελέχειαν & ἐνέργειαν  
 pro eâdem re habeat, & utramque δύναμεi seu poten-  
 tiæ opponere soleat. Quod iis etiam quileuiter saltem  
 in Aristotelicorum monumētorum lectione sunt ver-  
 sati, notissimum est: ideoque id pluribus demonstra-  
 res supersedemus, lectorem ad ipsum Aristotelem ab-  
 legantes. Is enim ( ut ex plurimis locis paucos saltem  
 attingam ) lib. 3. *Phy. c. 1. text. 6.* in unoquoque genere δι-  
 ημένα esse, quæ sunt ἐντελέχεια, & quæ sunt δύναμεi, scri-  
 bit: & si forte quædam δύναμεi sunt & ἐντελέχεια, ωχ δύνα,  
 η & κατὰ τὸ ἀντό, ibidem tex. 8. subiungit. Et δύναμιν atque  
 ἐντελέχειαν non parum differre lib. 1. de anima cap. 1. text.  
 6. testatur. Hinc ubique id quod Est, per ἐντελέχειαν &  
 δύναμιν diuidit: ut lib. 2. *Physic. cap. 1. tex. 12.* εὶ libr. 3. *Physic.*  
*cap. 1. text. 3.* εὶ 6. lib. 5. *Metaph. cap. 7.* εὶ lib. 9. cap. 1. εὶ alibi. Sic  
 lib. 2. de anim. capit. 1. text. 2. Materiam ait esse δύναμιν, For-  
 man verò ἐντελέχειαν, & lib. 8. *Metaph. cap. 2.* ἐνέργειαν. I- Ενέργεια  
 dem Aristoteles his duobus nominibus, ἐνέργειas scili- εὶ ἐντελέχ-  
 eiat & ἐντελέχειas, ἐνέργeū item & ἐντελέχeia eīnai, pro iis- idem sunt.  
 dem & in eâdem re vtitur: & ἐνέργειas aequè ac ἐντελέ-  
 χeias δύναμεi opponit: ut videre est lib. 4. *Physic. cap. 5. tex.*  
 44. εὶ lib. 8. cap. 4. tex. 31. εὶ 32. lib. 2. *Metaphys. cap. 3.* εὶ lib. 5. cap.

5. & lib. 8. cap. 1. & libr. 9. cap. 3. 6. 8. & libr. 11. cap. 9. ubi eandem Motus definitionem, quam libr. 3. Physic. cap. 1. text. 6. tradit, repetens, pro ἐντελέχειᾳ vocula ἐνέργειᾳ ponit. Hinc Plutarchus lib. 4. de Placitis Philosophi in definitione Animæ, quam tradit Aristoteles lib. 2. de anim. cap. 1. sumendum esse ἐντελέχειαν pro ἐνέργειᾳ, admonet: & Boëthus cum aliis Latinis utramq; dictionem Latinè vertit Actum. Plura qui desiderat testimonia, ipsum Aristotelem adeat.

*Schegkii cor.* Secundo, Pestilens Venenum, quod Venenatum appellare mavult, ex Iac. Schegk. libr. 2. de occult. medic. facult. capit. 5. & disputat. de morb. substant. fol. 22. & 23. φύσις produci negat, sed corruptelam quandam esse rerum naturalium, nec substantialibus quibusdam δύναμεσι esse præditum, sed qualitatibus tantum ac materia (ut in alia quadam Disputatione:) & non κατ' ἐντελέχειαν, sed ἐνέργεια, Cordis καρδίᾳ oppugnare, affirmat. Quot verba tot errores legis candide Lector. Corruptelæ, seu corruptionis, διαφθορᾶς, notio impropriæ, nec absque Solæcismo rebus per corruptionem genitis seu productis tribuitur. Hæc quia naturalibus causis corrumpuntur ac generantur, et si non κατὰ φύσιν, φύσις tamen, & intra naturæ limites generari ac corrumphi, optima ratione dicuntur. Naturæ siquidem, non artis effectus sunt, & συμφύσει elementorum quiddam secundum naturam unum: cuius συμφύσεως non ipsa καρδία, sed potius φύσις causa est: & propterea φύσιν quandam suam habent, propter quam δύναμει actionis aut passionis cuiusdam definitur. Et licet Pestilens venenum violentis & exter-

*Venenum  
pestilens  
τῆ φύσει  
existit.*

nis producatur ac efficiatur causis: non tamen propterea extra naturæ limites est relegandum. Nam & violenti motus, respectu agentis, quod naturale est, & naturaliter agit, naturales appellantur: quemadmodum Nicol. Taurellus in *alp. cas. lib. 3. quest. 1. text. 28.* docet. Quod autem naturalibus & intra naturæ limites constitutis causis Pestilens producatur venenum (exceptâ Pestilentia, quam Diuinitus nullis Physicis concurrentibus causis, ac supernaturaliter à summo Numine peccatorum vindice, produci in Sacris legimus: ) non nisi summæ inscitiae ac temeritatis est negare. Nec Disputator pugnauerit, si Disputationem suam, ante plurimos annos de Peste habitam, perlegerit. In qua Disputationem (vt & hoc obiter attingam) **D E V M** ter optimum maximum, formâ sua substantiali seu potentia essentiali [ *DEVM fortassis cum quadam naturali seu essentiali necessitate, extra seipsum operari cum Aristotele statuit* ] lädere nos & afficere, aëre tamen vel rebus aliis mediantibus [ *plerumque quidem Dini gloria maiestas causis paratis utitur ad aëris corporum quæ corruptelam: iis tamen utpote primum & liberrimum agens, & nullis circumseptum carceribus non alligatur, sed ad hanc luem hominibus inferendam sapè nullis naturalibus causis utitur: aut etiam ordinem secundarum causarum, suâ ineffabili potentia, impedit,* ] asserit: & paulò post **D E V M** inter res alias veneras collocat, scribens; ex quibus causis est Deus, orbes caelestes, & res yenenatae aliæ. [ *Sobrie de DEO est differendum, nec afferendum quicquam nisi cum timore & reverentia.* ] Sed sit corruptela illa seu

*Absurda de  
Deo ad Pe-  
stem concur-  
rente.*

diaφθορά præter, contra & supra omnem naturam: num ideo Materiam post Formæ, quam habuit, interitum & corruptionem, omni forma & substantiali dūrāpera destitutam affirmabimus? Quis Materiæ informi, quæ non est χωρεῖσσι seu τὸ δέῃ; & qualitatibus; aut farragini & concremento cuidam quatuor elementorum, sine forma substantiali mixtorum, tot abstrusas, subtileas & ingenii humani vires fèrè excedentes & Diuinæ quasi operationes, in quibus τὸ θεῖον Hippocratis cum euidentissimè elucescit, adscripserit? Rebus certè corruptis, amissâ priori aut præstantiori formâ, non omnis forma deneganda est: generatio enim corruptionem perpetuò comitatur, & contrâ: iuxta illud Aristotelicum & verè Philosophicum, Vnius corruptio est alterius generatio: & contrâ, ortus huius, alterius interitus. lib.3. Physic.cap.8. tex. 73. lib.1. de ort. & inter.cap.3. tex.17. & 20.lib.12. Metaph. cap. 2. tex. 7. Et licet Corruptio in negationem substantiæ tendit, quæ antea fuerat, vt Aristoteles lib.5. Physic.cap.1.tex. 7. & libr. 1.de ort. & interit.cap.3. tex.16. & libr. 2. de gener. animal. cap. 4. docet: aut secundum Schegkium lib.2.de occult. medic. fac. c. 2. omnis corruptela priuatione intelligitur quadam eius, quod secundum naturam inest: alia tamen forma priore peremptâ in materiam succedit aut producitur: aliâs absque substantiali forma existeret materia, quæ ne qualitatum quidem & accidentium, ut pote secundorum actuum, sine forma & prima ἐντελεχεία est capax: imò nullius operationis seu actionis efficiens causa. Est enim Materia ex sua natura & inabilituom, trinseca ratione pura potentia: Aristot.lib.2.Physic. cap.1. text.13. & lib.2. de anim.c.1.tex.2. & non ἐνεργεία, sed dūrāpera

*Formæ etiam  
post corrupti-  
onem.*

rāper tō dē l. lib. 8. Metaphys. cap. 1. & propterea iuxta Peripateticos non actionis sed per p[er]missionis principium.  
 ἣ τὸ θάνατον, ἣ τὸ θάνατον, inquit Aristoteles, περὶ θεωρίαν. libr. 1. de ort. &  
 inter. cap. 7. tex. 55. Ob id materia prima Peripateticorum  
 omnino est ἀγένητος, quia prorsus nullam vim habet ad  
 agendum, tantumquæ perficitur, non perficit aliquid.  
 Generantur in humano corpore præuiâ corruptione  
 (& quia generantur, cum introductione nouæ formæ  
 producuntur) varia & subtilissima, velocissimæquæ  
 operationis venena, quæ Galenus lib. 6. de loc. affec. Scorpionis & Phalangii venenis non absque ratione com-  
 parat: & Scorpiones ac Phalangia cæteraque araneo-  
 rum genera, ex corruptione rerum produci Philosophis,  
 rerumquæ naturalium indagatoribus notissimum  
 est. Hæc autem animalcula materiâ solùm & qualita-  
 tibus efficacia aut noxia esse, & formis, substantiali-  
 busquæ facultatibus carere, non nisi insani aut teme-  
 rarii, ac longè deterioris Sophistæ, quām ij sunt, qui  
 non nisi animata corpora substantias, seu substantiali  
 forma præditas eslē affirmant, est assérere. Quod si ita-  
 que per corruptionem animata etiam corpora natu-  
 raliter producuntur; quid impedit, quò minus non  
 animata naturalis substantia, suâ materiâ & forma, ac  
 substantialibus facultatibus prædita, mediante eâdem  
 corruptione generari possit? Et si peremptâ priore for-  
 ma nulla naturalis generatur substantia, seu nulla sub-  
 stancialis succedit forma, tunc sola superest materia,  
 & ea vel prima vel secunda: prima nihil est: secunda si-  
 ne forma substantiali nusquam est: ergo superest me-  
 rum aliquod accidens per se subsistens, mobile, corpo-  
 reum &c. Quod quia absurdissimum est, ideo Pestilens

*Venenum per  
stilens sub-  
stantia est.* venenum substantiam esse, & naturali forma prædi-  
tum, ac φύσις productum, affirmamus: quod non mo-  
dò Scorpionis, Phalangii, Cerastris, Hæmorrhoidis, &  
similiū virulentarum & ex corruptione genitarum  
bestiarum; sed & Cicutæ, Napelli, Colchici & simili-  
um naturam æmulatur: & suā propriā formā, aut sub-  
stantialibus facultatibus noxiū est: quæ facultates  
non materiæ solius, aut nudarum qualitatum, sed to-  
tius sunt compositi. Is enim omnium ut Cornel. Gemma  
art. Cyclognom. libr. 3. fol. 51. scribit, in natura connexus est  
mutuus, ut quamvis supra materiem magnitudini  
iunctam syndrome sit accidentaria, supra qualitates  
forma, vel secundum nō ullos spiritus, & superior spi-  
ritu forma, actiones tamen suās coniunctim produnt,  
ut omnium vnicā vis, scopus unus atque consensio vi-  
deatur.

### Non tamen absque habili subiecto.

*Non quiduis  
agit in quod-  
uis.*

**N**emo tam rūdis est, scribit quodam in loco Schegkius, ut  
non exploratum habeat, non quoduis a quo quis  
pati aliquid, necagens cuiusque patientis respectu ap-  
pellari aut referri, sed habere respectum ad certum  
quoddam patiens subiectum. In omnibus enim Enti-  
bus, teste Aristotele libr. 1. Physic. cap. 5. tex. 43. ita est natura  
comparatum, ut nec agat quoduis in quoduis, nec pa-  
tiatur quodlibet à quolibet, nec fiat quocunque à  
quocunque. Et propterea Galen, li. 1. de diff. feb. c. 4. nul-  
lam causarum sine patientis aptitudine agere posse  
scribit: requiritur siquidem αἰαλογία τὴν σφραγίδαν αἴτι-  
ων τεστήν τοπεύειν οὐλην, & in materia θητηδίοντος ad  
patiendum. Hinc non omnes omnibus æquè affici-  
mur

mur; sed ut naturarum hæ quidem ad æstatem, hæ  
 verò ad hyemem benè se vel male habent, *Hippocr.3.*  
*aphor.2.* ita quoque prout cuiusque corporis constitu-  
 tio fuerit, alius alio citius hoc aut illo morbo corripi-  
 tur. Corpus enim à corpore, natura à natura differt.  
 Neque cuius animantium generi eadem sunt com-  
 moda aut incommoda; sed alia aliis conueniunt. Cùm  
 igitur aér μισθυρός huiusmodi, quæ hominum naturæ  
 aduersantur, plenus fuerit, tum homines ægrotant:  
 quando verò alteri cuidam animantium generi aér  
 incommodus fuerit, tunc id eo morbo corripitur.  
*Hippocr.de Flatib.* Nec modò corpus à corpore, sed etiam  
 pars à parte eiusdem corporis differt: ideo quæ in Pe-  
 stilenti statu aliis partibus est infirmior, eandem Pestilens  
 citius occupat contagium: quemadmodum Ga-  
 lenus *3.Epid.12.* docet. Hæc quia manifesta sunt & vul-  
 gonata, ideo non credo nec persuaderi mihi patiar Di-  
 sputatorem aliter reuera sentire. Verba tamen these-  
 os contrarium habent; & ut si sonant ita accipiēda sunt:  
 opponit namque venenum Pestilens iis venenis, quæ  
 non nisi in habile subiectum agunt; ergo ex natura op-  
 positorum Pestilens venenum in subiectum non ha-  
 bile agit. Per oscitantiam aut festinationem hæc Di-  
 sputatori excidisse, certus sum: quem, vt cautius im-  
 posterum & scribat & loquatur, & sibi functionis or-  
 dinariæ rationem aliquando non apud homines, qui-  
 bus palpus obtrudere facile quisque potest, sed  
     apud Deum reddendam, cogitet, a-  
     micè moneo.

Siue intra, siue extra corpus  
generetur.

*κερθεα  
Medicine.*

*Venenum Pe-  
stilens in cor-  
pore ab inter-  
nis causis non  
generatur.*

**I**N nobis gigni substantiam venenatam, in dubium vocauere multi: nos experientia & ratione (quæ omnium, quæ in Medicina disquiruntur, sunt iudices, Galen.lib.1.Meth. Med.cap.3. & lib.3. cap.2.lib.4.c.4.lib.5. cap.10.in fine libri de dieb.decret. & alibi) conuicti, cum Galeno lib.de constit.art.c.19.lib.5.de loc.aff.c.7. & libr.6.ca.4. & libr.6. Epid.s.6.t.5. & Auicenna li.3.fen.1.tract.2.c.6 affirmamus, quædam venena in corporibus nostris generari, sensim in corpore causis, quæ sunt excitandis huiusmodi malis, crescentibus: ut Galenus 3.Epidem 3.75.docet. Quod autem Pestilens etiam venenum absque contagio aut externa communica causa in corporibus generetur, non perindeliquet. Repugnat namque hoc & experientia & rationi. Experientia quidem, quia nullus vñquam Medicorum Pestem ex interna humorum corrutione exortam fuisse, obseruavit. Rationi verò, quia naturæ Epidemicorum morborum, ex quorum numero est Pestis, Hippocr.1.vict.acut.g.Galen. ibid. & 1.Epid.2.in proemio. & 3.Epid.3.20.conuenit, communem habere causam, non priuatam, quales sunt cuiusque corporis humores aut excrementa: à quibus malignæ potius seu Pestilentes febres, idw̄s seu priuatim & peculiari ratione sic appellatae, oriuntur: de quibus in sequentibus differendi forte dabitur occasio.

# EXERCITAT. AD T H E S. VII.

T<sup>H</sup>efishæc *πέριστρα* seu consec<sup>t</sup>ariūm quoddam eo-  
 rum est, quæ in antecedentibus thesibus dicta sunt.  
 Colligit namque ex dictis, **primum**, quod Pestis ma-  
 nifestarum qualitatum dyscrasiā non sit definienda:  
 deinde, quod præter morbos similares in manifestis  
 qualitatibus positos, sint alii in occulta & nullo sensu  
 perceptibili dyscrasia constituti: quos vulgus Medicorum  
 aut ignoret, aut non intelligat. Ad primum quod  
 attinet, nos libenter concedimus, Pestem non esse ali-  
 quam manifestam, calidam, frigidam, humidam aut  
 sicciam, simplicem vel compositam intemperiē: quod  
 autem ex dictis id manifestum & eidens sit, id ne-  
 gamus. Nec id suā naturā adeò eidenter liquere ad-  
 mittimus; cùm multiliteratissimi viri contrarium af-  
 fere non dubitarint. Secundò occultos morbos, quos  
 Morbos totius Substantiæ nominat, nos etiam admit-  
 timus: & plurimos eosdem negare, aut admislos non  
 recte intelligere, eorumquę naturam ignorare scimus:  
 verū eosdem inter vulgus Medicorum, hoc est, in-  
 ter ignobiliores & imperitus referre Medicos ( ita e-  
 nim vocula Vulgus sonat) veremur. Apud Hippocra-  
 tem certè vestigia penè nulla sunt occultorum mor-  
 borum: apud Galenum extant exigua, occulta, atque  
 incerta: vt pote qui etiam Epilepsiam non ad occultā  
 dyscrasiā, sed ad manifestam à frigidis & crassis hu-

L

mori-

*De occultis  
morbi presca  
atas tacuit.*

moribus obstructionem, refert: & eos, qui ad proprietatem, quæ exprimi nequeat, confugiunt, nihil docere scribit. lib.3. de præ sag. expuls. ca.5. Haud aliud nempe sensisse videtur quam Empedocles: ut qui plerisque in locis & scriptis suis præter quatuor primarum qualitatum *ne<sup>g</sup>ativ* nullam substantiam esse prodidit; ut interdum etiam Animam ipsam nihil aliud esse, quam *ne<sup>g</sup>ativ* Corporis, dixerit. Hanc opinionem tantâ pertinacia tuetur Leonh. Fuchsius lib.7. instit. sect.3. cap.1. ut valde morosos esse scribat eos qui secus loquuntur assertiunt, vt pote qui Medicos ad Philosophorum præscriptum loqui cogere annituntur, & dum hoc faciunt, se non esse Medicos produnt. Post Hippocratem & Galenum apud antiquos & eos qui superioribus seculis vixere Medicos, de occultis & totius substantiae morbis altum fuit silentium. Inter nostri verò seculi Medicos multi multa de huiusmodi morbis prodidere: inter quos plurimi, eruditione pariter & experientia per Europam clarissimi viri, & de Medicina nostra optimè meriti, Morbos occultos negarunt; ut Iulius Alexanderinus Medicus Cæfareus, Hieronymus Montaltus, Comes Montanus Vicentinus, Iacobus Fontanus, Alexander Massaria & sexcenti alii: qui omnes auctoritate & testimonio Galeni suam tueri ac defendere conantur sententiam. Hos qui inter ignobile Medicorum vulgus refert, quem ipse inter Medicos obtineat ordinem aut locum, nobis dicat: quò ipsius osculari pedes, aut minimum manus reuerenter contrectare, sciamus. Sunt præterea plurimi, qui occultos quidem in intemperie morbos admittunt, & pro-iis tanquam pro aris & focis pugnant: quia autem de eorum natura vel

*Nostra non  
item.*

rā vel essēntia fortassis non idem cum Disputatore sen-  
 tiunt; suntnè propterea inter ignobile Medicorum  
 vulgus numerandi? annon potius, eorum sententiam  
 Disputatoris centones ex Schegkii monumentis male  
 consarcinatos seu compilatos, multis superare ac post  
 serelinquere parasangis, iudicandum? Quæ enim de  
 occultis morbis hīc tradit, talia aut tanta non sunt, quæ  
 aliorum doctrinæ aut sententiis præferri aut antepo-  
 nidebeant. Scribit, Occultos morbos esse ex primis  
 compositam & natam secundam quandam qualita-  
 tem & dyscrasiam, propriæ alicuius corporis partis  
 Crasis oppositam, quæ ratione tantūm & non sensu vl-  
 lo percipitur. Omnis *neq̄oīs*, siue manifesta siue occul-  
 ta, non Compositionē, sed Mixtionem primarum pati-  
 bilium qualitatum præsupponit, ex quarum actione  
 & passione mutua resultat: & hac ratione secūda quæ-  
 dam qualitas, hoc est, non prima, sed ex primis orta ap-  
 pellari potest. Quòd si verò mixtionū, ut & formarum  
 multititudinem, diuersitatem & gradus consideraueri-  
 mus, fortè non Secunda, sed ad minimum tertia vel  
 quarca aliqua qualitas erit, quam occultam *neq̄oī* ap-  
 pellamus. Hanc Galenus naturæ proprietatem nomi-  
 nat, & ineffabilem esse dicit, nec exactissimā scientia  
 comprehensibilem. *libr. 3. Method. Meden. capit. 7.* hæ e-  
 nem, ut *idem* habet *lib. de const. art. Med. cap. 8.* & *libr. 4. sim-  
 pli. capit. 15.* innumeræ sunt, ob innumeræ elemen-  
 torum alterationes & temperaturas. Ego ob in-  
 numeras rerum seu corporum formas id fieri dixe-  
 rim; & propterea vernaculæ Crases tam cogni-  
 tionem nostram fugiunt, quām Formæ substantiales.  
 Ad Dyscrasias verò morbidas quod attinet, has non

*Omnis neq̄oīs i mixtione.*

*A Forma-  
 run multitu-  
 dice, etiam  
 Crasis mul-  
 titudo affi-  
 manda.*

compositione aut mixtione ex primis qualitatibus, sed Priuatione propriæ ac vernaculae ~~negotiorum~~ seu dia-  
phoræ introduci, nemo est qui inficias eat. Quod præ-  
terea Pestis non manifesta, sed cæca, occulta, inexplicabilis & ~~difficilis~~ sit intemperies, per *Φαινόμενα* eius-  
dem & accidentia sensibus apparentia cognoscimus:  
quid autem & qualis illa morbida dyscrasia, & ei op-  
posita vernacula ac propria Crasis sit, nec Ratione nec  
Sensu percipimus. Sic Hieron. Mercurialis *lib. de morbis*.  
*Gallic. cap. 1.* scribit: Symptomata & effectus huius Luis  
(Gallicæ scilicet seu Venereæ) videmus, non videmus  
tamen veram naturam, veraquam causas. Hinc etiam  
remedia occultâ & abditâ vi contra huiusmodi mor-  
bos pugnantia, nos non Ratio docuit, sed Experientia;  
quæ singularium tantum est notitia, ut *Aristoteles libr. 1.*  
*Metaph. cap. 1.* docet. His sic se habentibus, mirari satis ne-  
queo, quâ fronte Martinus Rulandus, nihil sibi *ἀβατον*  
vel in accessum putans, nō occultum, sed manifestum  
morbum esse Pestem, eiusquam naturam satis perspicua  
*in dedicatione Loimogogi sui* scribat. Insuper, quod tra-  
dat, nihil in hoc mundi Polydædaleo Theatro existe-  
re, *in prefat. libr. 1. problem. Medico-physic.* quantumuis in-  
comptæ originis & densis obscuritatibus inuolutū,  
cuius non probabilis ratio excogitari, & effectus cau-  
sa, si non euidenter & perspicue, certè verisimiliter  
reddi possit. Rectè addidit non euidenter: siquidem  
ipsi idem euenit, quod de Epicuro & Asclepiade Ga-  
lenus *libr. 1. de natur. facul. c. 14.* scribit, ut vel rationes in-  
eptas, frigidas, vanas & ridiculas attulerit; vel ea im-  
pudenter negarit, quæ euidenter apparent, & expe-  
rien-

*Martini  
Rulandi re-  
prehensio.*

*Non est om-  
nium cognitio  
aut sciencie,*

rientiâ certâ confirmata sunt. Hincidem Galenus P  
lopem Præceptorem non immeritò reprehendit, *libr.*  
*11. de simpl. medic. fac. §. Cancri*, quòd ambitiosè profite-  
retur, se omnium talium causam nosse. Non imme-  
ritò itaque Rulandum ambitiosi sui Paradoxi pæni-  
tuit: qui propterea Palinodiam quasi canens *in dedica-  
tioneli. 2. prob. Medico p-hysic.* Venenum scarificatis in Lue  
quadam Ratisbonensi afflatum, licet symptomata ha-  
buerit manifestissima, Occultum tamen fuisse affir-  
mavit: proculdubio recordatus illius Syracidis *ca. 3. v.*  
*22.* Difficiliora quàm quibus par sis, inconsideratè ne  
quæras: & quæ tuas superant vires, stultè ne exqui-  
ras.

### Morbus Vngaricus,

**M**Orbus, quem Vngaricum vocant, non cæcus ali-  
quis aut occultus morbus est, sed Dyscrasia ma-  
nifesta, Febris scilicet: quæ neque cælestes habet cau-  
fas: neque ab aëre occultâ aut venenatâ quadam qua-  
litate pernicioso, sed primis alterato qualitatibus, in-  
æquali, austriño, impuro, fuliginoso; Cibis concoctū  
contumacibus, putredini ac corruptioni obnoxiiis; a-  
quis paludosis, limosis, graueolentibus; vinis etiā me-  
racionibus, fæculentis, turbidis, &c. oritur; & insignis  
putredinis Cor ferientis particeps est. Nec ullum in ea  
reperitur symptoma, cuius manifesta aliqua non pos-  
sit reddi ratio: ut propterea ad occultam aliquam seu  
indicibilem dyscrasiam confugere, non sit opus: præ-  
sertim si sparsim fiat. Cum verò Epidemicus fuerit hic  
morbus, ob communis causæ malitiā, malignitatem  
cide superuenire posse, haud difficulter cōcesserimus.

*Morbus Vno  
garicus dys-  
crasia est ma-  
nifesta.*

# EXERCITAT. AD

## T H E S. VIII.

*Examen definitionis Pestis.*

**P**ost longè latequè factam excursionem, tandem in vnum suas de Peste cogit cogitationes, & per ἀναφοράς quandam, ac summariam hactenus dictorum repetitionem, Pestis οὐσίαν proponit Disputator. Laudo studium hominis! quippe qui nos ad anchoram omnium firmissimam deducere nisu qualicunque conatur. Est enim, ut Scaliger in lib. 1. de Plantis mibifol. 64. 1. scribit, cordato viro nihil dignius quam definire; & sapientis persequi definitiones, quae ad scientiam τεχνῶν sunt immediatae, &, ut Aristotel. lib. 2. post. anal. cap. 3. pag. 10. & lib. 1. de anim. cap. 1. text. 11. docet, δέκατη τὸ πρότερον. Sed vtinam sapientem & verè cordatum hic sele probasset! Audacem sanè & nimis licentem ostendimus eum, qui τὴν εἰδίαν γνωστήν (sic τὸν οὐσίαν) describit Aristoteles libr. 2. post. analyt. cap. 3. p. 7.) publicè obtrudere fuerit ausus talem, quae nouas potius menti tenebras immitteret nedum ut scientiam, quae cognitione est quiditatis, Aristoteles libr. 7. Metaphys. capit. 6. aut definiti notitiam, cuius gratiâ traditur, Aristotel. libr. 6. Topic. capit. 4. pagin. 2. produceret. Quod enim de panno quodam amplissimo Sarcinatoris cuiusdam fabulantur, cui erant adsutæ particulæ innumeræ, licia, limbi, fragmina, præsegmina, furtiuæ manus aut forficis opera: id λόγοι iste, veluti παντεργίαι quampiam verè exhibet: in quo nimia & in-

& intempestiua & plusquam Antisthenēa, de qua lib.  
2. poste. anal. cap. 13. pag. 25. prolixitas, ex variarum differ-  
entiarum importuna consarcinatione, studio quæsi-  
ta; contrā erudita breuitas, tantopere Aristoteli  
probata, libr. 2. poste. analyt. cap. 7. pag. 8. & libr. 7. Met-  
aphysic. capit. 4. & omnibus sobriis Philosophis ama-  
ta in neglectis cernitur habita. Quæ enim (nunc  
ad Scholica scamna cum Horista descendere, &  
omnia minutius expendere, animus non est) à sub-  
iecti seu Cordis mentione, usque ad superuentum a-  
licuius abscessus, in Definitione sequuntur, vana sunt  
& superuacanea omnia. Quid per diās iūieas! sibi  
vult vocula talis? ἀδολεξία hæc est, quam Aristote-  
les libr. 5. Topic. capit. 2. pag. 5. ne in Proprii quidem as-  
signatione admittit, Talitas (detur barbara vox in  
barbaro negotio) rei formam arguit, quæ si posita  
est in definitione, ut certè poni debet, implicat  
ipsum illud tale esse: & propterea id temerè repe-  
titur. Præterea quid doctrinæ, quid scientiæ secum  
ad fert comparatio illa, potius, quàm? Definitione  
ἀπλῶς percipitur sincera rei essentia: atqui eam v-  
nam esse necesse est: vtique igitur ipsum eius ὅπιώ-  
δη λάγον. Valeat itaqne hic comparatio, οὐτὸ μᾶλλον,  
seu intentionis ratio, potius, quàm, magis, mi-  
nus: quæ reuera sunt in Definitione ἐπεξ seu ἔπεξ.  
Insuper de repetitione vocabulorum eorundem aut  
οὐνωνύμων, qualia sunt Dyscrasia, dissoluens crasis,  
temperamentum destruens, putrefaciens, ut ne proli-  
xus sim, audi quæso, si vacat, quid Præceptor noster  
in l. c. dicit: ταχίσται τὸν ἀκόντια τὸ τολεόντινος λεχθὲν  
dico.

Eadem in de-  
finitione non  
repetenda.

αὐτοῦ φέσεν αὐταγμάτιον εἴη γίνεσθαι. καὶ τῷσι τοῖς πάσι, αἰδολεργεῖν δοκεῖσιν. & ut disertè videas quadrare huc istuc, vide quid sibi hæc verba velint, καὶ εν τοῖς ἴδιοις, καθάπερ καὶ εν τοῖς ὅποις. Quæ hucusque ab Horista posita sunt forsitan inciderint alicui, qui non ponere sed indagare velit definitionis alicuius terminos. Ibi τὴν διάφεσιν atque remotionem usui esse non negamus. Goclen. de ratione definitionis. ex Plato Sophista. Collectis autem veris Definitionis partibus, quid necesse est assumpta inania illis apponi? v. g. Pestem non destruere Crasis humorū, corpori colliquationem non inducere &c. Hæc enim si περτωσ νό sunt Definiti, deoneraanda iis erat Definitio, ὡν αὐτοφεύτων καὶ οἱ λοιπὸς λόγοι ἴδιοι εἰσι (utinam de Tua opera hoc dicere possemus!) καὶ δηλοῖ τὴν σοίαν. li. 6. Top. c. 3. p. 2. In hac siquidem περιγραμματείᾳ nihil debet esse περισσὸν aut περιεργόν.

### Cui superuenire possit.

**H**Vcusque Genus ab Horista nostro quatuor longis versibus expositum est. Nunc Differentiæ sequuntur, Genus ad designatae Speciei angustias contrahentes. Primum locum tribuit Abscessibus, bubonibus videlicet, carbunculis, maculis &c. Hæc nos in Humoralis Pestis definitione lubenter admittimus: non itidē in λόγῳ Spirituosa aut Hæticæ appellatae Luis; in quibus non humores, sed Spiritus aut substantia Cordis κατ' εἶναι afficiuntur; & quæ nullo tumore aut alio abscessu indicantur. Cùm ergo Abscessus interdum superueniant in Peste, interdum non (quod potentia etiam notatio, quam ponit, arguit: si enim ad Pestem absces-

abscessus sequi potest, etiam non potest) ideo essentialem omnis Pestis rationem, quam ναθόλς semper & ubique veram esse oportet, non ingrediuntur. Hæc singularis illa industria est, quam ad alterū Definitio-  
nis suæ principium εἰδοποιεῖ illud attulit Horista, Quæ de motu Critico adsuit, in superioribus discussa sunt.

### Quæquè in secundum actum.

**A**lteram hic Differentiam, Contagionem videlicet, describit, quam non improbamus: sed νείασοντογίαν notamus & δωρίφειαν. Poterat namque hæc omnino compendifacere, & vnâ Contagiosi voce efferre. Non illustrat item Affectionis vocabulo Contagionē, sed obscurat, inusitatorem usurpans dictionem. Contagionis siquidem vel Contagii vox longè explicatior est, & Medicorum Scholis notior, & acceptior: atqui Aristoteles monet, definientem οὐΦεστη τῇ ἐργανείᾳ viti debere lib. 6. Topic. c. 1. p. 6. ἐπειδὴ γνωρίσαι χρειν δυοδιδοτοῦ ὀγκομός. Ibid. &c. 4. p. 2. Sic vidimus Differentias, quæ profectò de Pestis natura perparum impertitæ sunt. Intanta enim abundantia defectus etiā notamus. Vbi quæso delitescit causa Pestis efficiens, Venenū sc. aérū? bi harent effectus proprii, Cordis nempe actiones læsæ? Hæc quæ præcipua sunt, omissa cum sint, quid de palmario eruditè conscriptæ definitionis sperare Horista possit, non video. Nobis verò nunc incumbit e-  
uersâ posita Definitione, quæ tamen non est, substi- Definitionio-  
tuere aliam veriorem. Idquè ex præcepto veritatis plisis, una ve-  
Magistri Aristotelis, quod legimus lib. 6. Topic. cap. 14. p. ra ponenda  
bus falsis ex-

5. Quod si enim hoc, quibus leges condendi potestas est, obseruant, ut propositâ meliori, priorē antiquent legem: iure merito veritatis sectatores hoc sibi sumet in Definitionibus: nam & Definitio, *vt I. Schegk. in comm. l.c. scribit*, ratio recta est in rebus intelligendis, quemadmodum Lex in rebus agendis. Dicimus itaque Pestem esse Dyscrasiam Cordis ἀρρενούν καὶ Φθορωτοῖς, aereo veneno inductam, actiones ipsius omnes αἴθριος laudentem, contagiosam, plerumque charactere externo insignitā, & saeuissimis aliis symptomatibus comitatam. Hæc si non omnibus numeris absoluta (quis enim talē in tam abdito morbo requiret λόγον?) scitè tamen affabrefacta est Humoralis Pestis quæ frequentissima est, Definitio quæ etiam reliquis Pestis differentiis, paucis mutatis, accommodari potest. & quæ positâ Disputatoris falso conceptus ὑπερσπόνδη sponte eulæscit. Hæc de Definitione Pestis dixisse sufficiat. Persequamur nunc reliqua, quæ in præsente thesi veritati minus consentanea videntur.

### Ortus sui ratione Sproadicūs:

*σιδηρόξυλον  
ein hützener  
Bretzstein.* **S**poradicum morbum populariter grassari, est eis Shulzen SchiereySEN oder ein Eysen Pfannenholz. Σιδηρόξυλον namque, vel σπαργαδίνη, Διπλὸς σωτείρευ dicti morbi, Galen. 1. Epid. 1. id est, qui sparsim priuatimquè prehendunt, ægros disrepanter fatigantes, aduersantur iuxta Galenum l.c. & 1. viii. acut. 9. è diametro Epidemicis & Endemicis morbis: & propterea idem morbus Sporadicus esse, & populariter grassari, tota squè per uagari prouincias, non potest. Hinc Hippocrates seorsim de quolibet eorum genere tractauit: nempe de Sporadicis in

Cis in libro de victu acutorum: de Endemiis in libro de  
aere, aquis & locis: de populariter grassetibus in libris  
Epidemicis. Quod præterea Pestis Epidemicus sit mor- Pestis non est  
morbis sp̄o-  
radicus.  
bus, & non Sporadicus, testatur Galenus ex Hippocra-  
tis sententia 1. acut. 9. lib. 1. Epidem. sec. 1. in proœmio. & 3. Epid.  
3. 20. cùm enim ex communi causa ortum habeat, ideo  
etiam communem & popularem esse morbum, neces-  
se est. Sporadici autem qui sunt morbi, à priuato &  
peculiari cuiusque victu oriuntur. Hipp. 2. de nat. hum. 3.  
*Gal. 1. Epid. 1.*

### Pestis ab illo non immutetur.

**D**E hac quæstione, ut & de Crisi phantastica, supra  
in discussione theseos: tertiae & quintæ actum est.  
De curatione verò Intemperiei non per alterantia, sed  
per euacuantia infra fortè agemus: vbi quām noxia  
dogmatum portenta miseric suis Discipulis obtrudat  
Disputator, ad oculum monstrabimus. Impudentiæ  
etiam & arrogantiæ æstus eundem eò deduxit, vt ali-  
os alto supercilio præ se contemnere, iisque medendi  
leges, quarum ipse ignarus est, præscribere non eru-  
buerit.

### Dyfcrasiam suæ impressam Craſi.

**Q**Vis modus, quod vestigium impressionis? quæ  
durities aut pondus imprimentis? quæ mollities  
Craſeos Cordis naturalis cui præternaturalis impri-  
mitur? quæ profligatio intemperiei de loco  
ad locum, de parte ad  
partem?

## Pro motus conditione.

*Diversitatis  
abscessuum  
causa.*

**Q**uae, qualis, quanta hæc est motus Critici conditio? aut quid hæc cōditio ad abscessuum diuersitatem facit? Nos cum omnibus elegantioribus Medicis, diuersitatem huiusmodi abscessuum non ipsi motui Critico, sed naturæ expellenti, humorum diuersitati & inclinationi, meatuum conditioni ac situi, & partium recipientium imbecillitati adscribimus: ad ea enim quæ malè affecta sunt feruntur partium proximarum superfluitates. *Galen. 6. aphor. 50.* Hinc illud Hippocratis *4. aph. 32.* Quibus à morbo restitutis quippiam est infirmum, ibi abscessus fiunt. Et *4. aphor. 33.* Si quid antè laborauerit priusquam morbus inuaserit, ibi se morbus obfirmat.

## Abscessus, pustulæ.

**A**bscessus, siue generaliter accipiatur pro omni abscessu, qui vel κατ' ἐνέργειαν κατ' ἔνοργην, vel κατ' ἀπόθεσιν: siue speciatim sumatur pro ἀπόστασι κατ' ἀπόθεσιν: non solum adenum tumores, sed etiam Φύματα, εξαγήματα, anthraces & similes ad cutem decubitus, sub se complectitur. Id quod ex Hippocratis libris Epidemiacis, & Galeni in eosdem commentariis ita notum est, ut probatione nulla indigeat. Præter rationem itaque Disputator abscessus à pustulis & maculis, ac si hæc non etiam abscessus sient, distinxit ac separauit.

Vt

Vt φαινόμενα in omnium oculos.

**N**Æ Lynceus est Disputator, & videt acutissimè, ea netiam, quæ natura in occultis viscerum penetrabilibus agit. Abscessus quidem, siue κατ' ἐγονή siue κατ' θυρίεσιν facti, oculis nostris obiciuntur: motiones vero, seu motus naturæ nemo vñquam vedit, nisi forte solus Disputator, qui etiam ea videt, quæ nusquam sunt. Præterea quæ φαινόμενα sunt, non omnia in omnium oculos incurrrunt, nec semper aspectabilia sunt: sed quædam, ut Hippocr.in princip. libr. κατ' ἵππον, & Galen. ibid. tex. 2. & 3. & comm. 2. de humorib. 4. i. docent, solum audimus; quo in numero sunt tussis, sternutatum, vox rauca, clangosa &c. quædam non visu, sed tactu percipiuntur; vt caloris differentiæ in febribus, pulsus, extrema frigida &c. alia Olfactu sentimus, ut corporum, excrementorum, vicerum, anhelitus ac ailiarum rerum fætores: alia denique Gustu, ut sudorum sapores & similia.

### Causa Continentem.

**C**AUSAM Continentem in morbis dari, negat Leonicenus, & ex eo Fuchsius lib. 3. Instit. s. 1. ca. 2. & alibi. Langius lib. 1. epist. 15. Trincauell. libr. 1. epist. 2. & 3. & alibi. Massaria libr. de febrib. cap. 1. & alii plurimi. Alii admittunt causam Continentem, sed in aliquibus saltem morbis; vt Vallesius lib. 4. controv. 3. Erastus, Schegkius, & multi alii. Vtraque secta testimonis quibusdam

*Causa Conti-  
nens in omni-  
bus morbis.*

dam & authoritatibus ex Galeno desumtis suam opinionem tueri conatur. Sunt denique qui in omnibus morbis Continentem causam cōcedunt; vt C. Gemma in art. Cyclognom. lib. 2. cap. 1. Mercatus lib. 3. de morb. q. 175. n. 12. Argenterius com. 3. in artem par. Gal. & ex hoc A. Plani-  
nerus in disp. de morb. temper. th. 9. Ioubertus lib. 1. Med. Pra-  
dic. c. 1. & in lib. Galen. de sympt. diff. forte etiam I. B. Montan-  
anus part. 2. Medic. f. 407. Hisce postremis nos non sine ratione subscribimus.

## Colliquationem.

*Colligatio.*

**N**on de Colliquatione propriè sic dictâ loquitur Disputator, in qua, vt Galenus 2. de humorib. 25. scribit, pinguedo aut etiam tenera caro propter malignam febrim colliquatur; & quæ ex Vrinis oleosis, egestionibus item per ventrem, secundum Aetium tetrab. 2 serm. 1. c. 90. ex Philagrio, fuluis, graueolentibus, aliquando etiam oleosis aut adiposis, cognoscitur. Nec de extenuatione corporis, quam proprium & inseparabile esse Pestis accidens in thesi tertia posuit. Sed de colliquatione seu resolutione corporis in humorem serosum, quam Sudori Anglo falsò adscribit. In Hydronoso namque solidæ partes non liquefcebant, sed Serum, quo corpora abundabant, & ad quod analogiam habebat cōtagium, per illos sudores ægrorum cum commodo euacuabatur. Hinc Medici aut sudorem promouebant (colliquationem non nisi insanus promoueret) aut ne hic impediretur procurabant. Omnes illo sudore curabantur (colliquatio non curat, sed pessundat ægros) nisi

nisi qui ab impostoribus aut ignarioribus, viribus exhaustis  
ultra modum sudare cogebantur.

## Putredo non perfecta sed in- choata.

**H**Æc mutuatus est, pro more, ex Schegkii *animadverſ. in Synopſ. Simon. fol. 727.* Quo in loco Schegkius refutaturus S. Simonium, quod Pestem Putredine nō esse definiendam affirmari, scribit: **P**utredo hæc non est perfecta, sed inchoata, videlicet calor quidam venenatus, vim in ſe habens, ut poffit putrefacere, id est, corrumpere ſubtantiam Cordis & Sanguinis. Et paulò post: quare Pestilenti veneno adſcribimus putredinem, non quâ putrefaciat Cor aut ſanguinem, ſed quâ extinguedo  $\mu\varphi\tau\tau\nu$  calorem (proprietate occulta) poffit mortis cauſa eſſe, & post mortem  $\sigma\mu\varphi\tau\tau\nu$  horum calorem perfecta putredine difſoluere. Hæc Schegkius. Qui quām benè aut ſcītē S. Simonii opinionem refutauerit, iudicium penes alios esto. Mihi certè vir alioqui doctiſſimus & acutiſſimus, hic parum acutus fuifſe videtur. Pestilens venenum, ait, eſt putrefaciens. quare? quia poteſt cauſa eſſe mortis, poſt quam omne corpus putreficit. Bone Deus! quæ hæc ſubtilitas aut acumen? Nonne eādem ratione gladium, furcā, morbos item omnes eoruñdemq; cauſas, quæ hominem vitā priuare poſſunt, putrefaciente vi præditas, & putredine definiēdas, meritò quis dixerit? ſiquidem vitā quo cunque modo ſublatā, cadauer tandem, niſi comburatur, naturaliter putreficit. In huiusmodi putridarum ſubtilitatū Magistros non imeritò

*In Schegkii  
um animadverſio.*

ēcum Simonio exclamamus: Nihil propē vsquam aut  
vnquam in tota Medicinā arte occurrit, quod isti sua  
Putredine non inquinant: quicquid quāras, de qua-  
cunque re differas, vna Putredinis vocula in promptu  
semper adest, quāe soluit ac diluit omnia. Nusquam  
non adest Putredo: à putredine hoc: propter putredi-  
nem illud: ut verendum etiam sit, ne Cælum ipsum a-  
liquando putrere videatur illis. Nam & orbes Cæle-  
stes, iuxta Disputatoris doctrinam in alia quadam Di-  
sputatione propositam, formā sua substantiali, seu po-  
tentiis essentialibus, Cordis substantiam perimunt,  
quāe vitā priuata tandem putrescit: quapropter iidem  
Putredine erunt definiendi.

## EXERCITAT. AD THE S. IX.

**E**XPOSITĀ Definitione Pestis, cuius gratia omnia ad  
präsentēm vsque thesin disputata sunt: nunc, ut  
omnia videlicet ordine persequatur legitimo & ele-  
ganti, de Differentiis Pestis agit, more suo: hoc est, ob-  
scurè, confusè, ac titubanter. Nos ea in meliorem,  
quantum fieri potest, ordinem redigentes, ad imitati-  
onem Galeni in 6. Epidem. s. 1. tex. 29. & lib. 1. de diff. febr. c. 1.  
(quibus in locis Febrium Differentias explicat) Pestis  
Differentias primū ab eiusdem sumimus essentia:  
quāe in Peste eadem non existit semper, ut Disputatori  
visum est. Pestis enim cū ob causarum cælestium &  
sublunarium, tūm contagionis seminariorum diuersi-  
tatem, vniiformem non semper secum venenī speciem  
deue-

Pestis diffe-  
rentia I. ab  
eiusdem es-  
sentia.

deuehens, eandem non semper Idæam repræsentat: & propriâ naturâ, non corporum patientium respectu, tam varium & diuersum quid est, vt cuilibet ferè Pestis sua peculiaris iuncta sit malitia: cuius discriminex inuadendi & nocendi modo, ac symptomatum diuersitate, non ex corporum solùm affectorum constitutiōne, petendum est. Hinc venenum Pestilens, vt supra monuimus, & R. Minderer lib. de Pestil. capit. 3. nec non Quercet. in pestis alexicac. c. 6. quoque annotarunt, modò Dipsadis, modò Viperæ, modò Cicutæ, modò Nappelli aut alterius Toxici naturam æmulatur: cui diuersitati in curatione singulari diligentia attendendum, neque omnes Peste laborantes semper & vbiique uno calapodio calceandi. Obseruatum namque est, illa remedia quæ in vna Peste profuerunt, aut salutaria reperta fuere, in alia aut nocuisse, aut absque fructu adhibita fuisse. Altera Differentia ex eo quod magis & minus est, desumitur, & omnino evidens est. Secundum hanc Pestis appellatur Magna aut Parua, seu Vehemens aut Mitis: nihil enim differt, siue vehementem siue magnam dixeris: quia haec duo nomina sunt apud Medicos vñtata, & saepius de eadem re pronunciantur. Galen. 1. aphor. 12. Tertia Differentia à Materia, seu περὶ τῶν δεκτικῶν Pestis desumitur, & maximè propria est. Περὶ τὸν illud δεκτικὸν Pestis, vti diximus, nostro tempore est Cor, seu potius ἐμφυτὸν θερμὸν, cuius focus seu fons & origo est ipsum Cor, vt Galenus docet lib. 5. de loc. aff. cap. 1. & libr. 6. de Hippocr. & Plato. descr. c. 6. libr. 6. Epidem. s. 4. cap. 24. Hoc quia partes habent Continentes, Contentas & Impetum facientes, quemadmodum Hippocrates loqui-

loquitur, hoc est, partem solidam, humores & Spiritum vitalem: ideo etiam aliud ἔμφυτον θερμὸν est solidæ substantiæ Cordis, aliud Sanguinis, aliud postremò Spiritus vitalis: & vicissim cuiq; calori oppositus Pestilens morbus. Hinc non inconuenienter aut præter rationē Pestem aliam Spirituosam dicimus, aliam Hecticam & aliam Humoralem: quæ quia Putredinem, & ob hanc, Febrem perpetuò succedit ente habet, ideo etiam Putrida appellari potest. Hisce tribus subiectis Pestilentiam differre, tum manifestis rationibus, tū φαρμακούσιοις euidentibus, demonstratū haec tenus est à plurimis. Etsi enim ob non satis adhuc compertā & propterea ἀρρητοῦ Pestilentiae essentiam, motus eiusdē celeritatem, & symptomatum complicatorū cateruā, quin etiam propriā ægrorum culpâ, & propter Medicorum quorundam imperitam audaciam, aut timiditatē, tam manifesta, ratione primorum subiectorum, symptomatum varietas, non ita euidenter, vt in Febribus, ab omnibus animaduertatur: obseruarunt tamē eam pluri. Non eā quidem, vt Disputatori videtur, ratione, quā Venenum pestilens propter συγγένειαν quandā pri- mūm cum spiritu & humoribus Cordis misceri, aut ea corrumpere dicatur: quibus mediantibus tanquā antecedentibus causis, Pestis demū in solidâ Cordis substantia producatur. Nec eo modo, quo Spiritui aut Sanguini à maligna solidæ Cordis substâtiæ dyscrasia, corruptio Pestilens, tanquam Pestilentiae symptoma, comunicari perhibetur. Etsi enim spirituali quodammodo veneno effera est Pestis: non tamen propterea συγγένεια & affinitatem quandam semper, & quidē magis cum Spiritu, quam cum humoribus & solida Cordis car-

carne, habet: sed pro diuersitate suæ essentia, nunc spiritui vitali, nunc sanguini, modò solidæ Cordis substâtiæ, occultâ quâdam *avimathia* aduersatur: & si Spiritum vitalem suâ *φθοροῦ* duplice corrumpit, Spirituosa; si Humores, Humoralem ac Putridam; si verò solidâ substantiâ, **Hecticam Pestē** producit. Humoralis Pestis, in qua Sanguis Cordis *καθ' ξένην*, solida verò substantia *κατὰ χέστην*, afficitur, frequentior est, & curatu facilior reliquis, quæ rariùs, & nō nisi in pernicioſissima Pestilentia, affligunt, & plerumq; paucis horis hominem extinguent. Talis fuit illa Pestis, quam Jacobus de Partibus *super. 1. fen. 4. Auicenn. cap. de Pestilente febri* refert: in qua interdum ægri ad ipsum cum Vrinis accesserunt, quo stangebat & inueniebat sine febre, si ne vyllo graui symptomate: qui tamen aut statim moriebantur, antequam discederent ab ipso, aut paulò post. Sic etiam Alexander de Benedictis *lib. de Pestē cap. 2.* scribit, de quadam constitutione, in qua sine febre, inter domesticas vel forense actiones, aut publica negotia decem horarum spacio, sine Vrinæ Pulsusquè signo, in templis, in via, ex insperato moriebantur, Hosce Humorali Peste non laborasse, id est, nō Humorib<sup>9</sup>, sed Spiritui vitali, aut Carni Cordis, Pestilens venenum aduersum fuisse, eosquè ad perniciē egisse demonstrari facile posset, nī meridianā luce id clarius esset. Nec verū est, in Peste Spirituosa aut Humorali, dyscrasiam Venenatā Spiritus & Sanguinis Cordialis, antecedentē, vt censem Disputator, aut, vt alii volūt, continentē esse Pestis causam: nisi Spiritum vitalem, aut Sanguinem Cordis, propterea quòd non sint animatae corporis

Error S.S.  
monii & I.  
Heurnii.

partes, morbis non subiici, cum S. Simonio, I. Heurnio,  
& recentioribus quibusdam aliis, affirmare velimus.  
Quam opinionem, utpote minus veram, non modò I.  
Schegkius in *animaduers. in Synops. Simon.* sed etiam in-  
signis ille Victor Trincauell. *comment. in Galen. libr. 1. de  
diff. feb. cap. 3.* Antonius ab Altomari *de medend. febr. part.  
1. cap. 12.* Alexander Massaria *de febrib. capit. 1.* & Andreas  
Planerus in *disput. de subiect. morbi solidè refutarunt.* De  
reliquis Differentiis, utpote minus principalibus, quæ  
scilicet à modo motus venenosæ qualitatis; & ab acci-  
dentiis cùm propriis, tum communibus desumun-  
tur; in præsentia agere supersedebo: ad reliqua, quæ  
in hac thesi discutienda supersunt, properans.

## Febris Symptomatica.

*Pestis humo-* **I**N Peste Humorali, quam frequentissimam esse dixi-  
mus, corrupto in humoribus Cordis calido οὐ φύται,  
mirum non est, nisi vigente Cordis robore, eiusquæ vi-  
naturali reluctante, materia vitiosa longè ab ipso Cor-  
de propellatur, etiam σύμφυτη eorundem θερμότητος per  
subsequentem putrefactionem aboleri, & hinc pro-  
duci Febrem putridam ac verè pestilentem: quæ ta-  
lis est, non ob excellentem aliquem aut intensem, vt  
multi imaginantur, putredinis gradum, sed ob hu-  
morum putrescentium ex priore corruptione acqui-  
sitam malignitatem. Id quod inter Italos primus P. Sa-  
lius lib. de febr. pestil. cap. 7. & post ipsum Eustachius Ru-  
dius lib. 3. de human. corp. affect. cap. 30. monuisse videntur.  
Et quemadmodum à Corde in totum corpus diffundi-  
tur ac vniuersis partibus suppeditatur innatum ipsum  
cali-

calidum: ita quoque ab eodem pestilens qualitas in totum animal effunditur: & pro varietate partium ac humorum corporis, non modò varios abscessus, sed etiam diuersas Febrium species producit: quas in præsentia Disputator Symptomata Pestis seu Symptomaticas, eò quòd Typi sunt expertes, appellat, quàm rectè, ipse viderit. Antiqua & peruetusta est Febris diuisio, in Febrim Morbum, & Febrim Symptoma: cuius meminit Galenus, cùm ex propria mente lib. 1. ad Glauc. cap. 3. & 4. lib. 4. aphor. 66. lib. 6. aphor. 44. tum ex sententia antiquorum lib. 4. aphor. 73. lib. 7. aphor. 42. lib. 1. Epidem. s. 3. com. 4. Verùm Aucenna lib. 4. fen. 1. tract. 1. ca. 1. hanc diuisionem improbat: & A. Massaria lib. de febr. c. 1. eam non esse veram, & Galeno lib. de diff. morb. cap. 5. repugnare statuit: non tamē prohibet, quin Febres, quæ inflammationes sequuntur, non simpliciter sed per quandam similitudinem esse quædam, ut Galenus libr. 1. ad Glauc. cap. 3. scribit, veluti Symptomata, dicantur. Sunt enim Symptomaticæ Febres eæ tantum, quæ, vt ex Galeni locis citatis colligitur, inflammationes partium consequuntur: ita ab iisdem dependentes, vt non modò augeantur, consistant, minuantur & cef- sent cum inflammationibus, verùm etiam ab iis no- men recipient: & non Febres vel febriles morbi, sed Pleuritides, Peripneumoniæ, Anginæ, Phrenitides &c. appellantur. Tale quidpiam in Pestilente febri cùm non reperiatur, sed hæc ex humorum putredine ac- fæpe perduret: ideo iuxta eundem Galen. lib. 1. ad Gla- con. cap. 4. sequitur, illam non Symptoma, sed Morbum à Peste diuersum esse: absurdum siquidem non est, vt

*Febris Mor-  
bus, & F.  
Symptoma.*

*Non omnis Febris typi expers, Sym- ptomatica.* subinde morbus morbum consequatur, aut comitem sibi habeat. Pueriliter quinetiam nugatur & errat Disputator, qui Pestilentē hanc Febrem propterea Symptomaticam appellat, quod Typi expers sit. Typos fortassis moletrinarum suarū obseruauit, dum hæc scripsit, subtilissimus Disputator. Symptomatica quidem appellatae febres typos non obseruant, qui sunt ordo intentionis & remissionis morborum: non tamen propterea omnis febris typo carens, statim Symptomatica est dicenda. Plurimæ namque febres, tum continuæ, quæ à Græcis ἀνεγένεται appellantur, tum inordinatae, teste etiam Galeno lib. de typ. Typis carent, non tamen pro Symptomaticis vñquam habitæ sunt febribus. Noua & peregrina hæc farina est, quam peregrino cribro excusorio ex creuit pollinarius Disputator, pastam hinc paraturus; sed pro Suisibus.

## EXERCITAT. AD THE S. X.

**D**iscussis Differentiis Pestis, Causas nunc eiusdē agreditur: quia alias atque alias propterea esse scribit, quia aliis atque aliis generationis Pestis modus. Malè. Non enim quia diuersi generationis modi sunt, ideo etiam diuersæ sunt causæ: sed vice versa, quia diuersæ causæ, ideo diuersi generationis modi, qui causarum naturam sequuntur. In præsenti exercitatione de Internis nobis solum sermo erit causis, a quibus solidis, citra cælia ērisquè cōstitutionem, communemquæ & externam causam aliā, Pestem generari raro & prauadoxo dogmate afferit Disputator. Humores corporis

ris humani, non excrementitios modo, ut male statuit Disputator, sed etiam utiles, quos rectius quam illos Ingenitos dixeris, variis alterationum & corruptionum modis (quos Disputator in Corruptionem & Putredinem distinguit) nullâ accidente externa causa, eò malignitatis sàpè perduci, ut mole quandoque exigui existentes, vim tamen & efficaciam lethalium venorum, perniciosarumquè ferarum, facile æquent, tam manifestum est, ut probatione indigeat nulla. Hinc à

*Humores eo  
iam utiles in  
Venenum  
convertuntur*

Epilepsia.  
*Vteri suffoca-*  
*tio.*  
dígito pedis Epilepsia, de qua Galenus lib. 3. de loc. affect. cap. 7. & ab Vtero strangulatus ac suffocatio, cum hor- rendis sàpè symptomatibus: hinc etiam quandoque, ut P. Salius libr. de febr. pestilent. capit. 4. scribit, subitæ & improvisæ mortes. Conspercerunt namque plurimos plurimi, cum sibimetipsis astantibusquè sani videren- tur, à Medicisquè expertissimis sani iudicari potuissent, subitam ac inopinatam oppetiisse mortem: quoniā corrupti humores ac venenatam naturam adepti intra corporis receptacula delitescentes, tandem ab extrinseca vel intrinseca aliqua causa concitati, in partes principes, Cor præsertim ac Cerebrum, subito irruperunt: vel vapores saltem tetros, aut qualitatem aliquam deleteriam ad illas partes amandarunt. Quod autem id- Interna cor- circo ex huiusmodi internâ corruptione sola, Pestis ruptio non sò- etiam generari possit, nondum firmis rationibus pro- la Pestem gis- batum est: nec vsu ab elegantioribus Medicis obser- gnit. uatum, humores venenosos ab internis causis genitos easdē produxisse operationes, aut operationis eundē modū ac vehementiā, & morte eandē, mortisquè celeritatem, ut Pestilens virus. Et propterea in omnibus omnium temporū Pestilentiis semper aliquā externā

cau-

Error recentiorum.

I. ratio.

2.

Confutatio

1.

causam pernicieei authorem fuisse, suis in commentariis scriptum reliquere classici authores omnes. Nihil proinde facimus ratiocinationem quorundam recentiorum, ne cassa quidem nuce dignam, qui in disputationibus suis, pro afferenda Pestilentis veneniam solis internis causis generatione, scribunt primum, si Semen & Sanguis putrescens, malignam & verè venenatam qualitatem cōcipiunt, certo putredinis gradu: ideo etiam Pestilens venenum, quantumuis non idem penitus cum prædictis, haud tamen absimile illis est, ex aliis humorib<sup>9</sup> putredinis alio gradu vel corruptionis modo, produci suamquè originem trahere potest. Secundò: Si generari in hominis corpore potest venenum κράτει ipsius Cerebri oppositum, qualis est aura illa Epileptica apud Galenum lib. 3. de loc. aff. c. 7. ideo etiam aliâ quadam corruptelâ ratione, Pestilens & quod Cordi principalissimè discors sit, δηλητή ερων exoriri potest. Ad primum enim quod attinet argumentum, consequentiæ in eo planè nulla est ratio. Siquidem ut non quiduis agit in quodquis; ita etiam nō quodlibet patitur à quolibet, nec quidlibet à quolibet generatur, sed à suo determinato agente. Quapropter probandum Disputatoribus incumbit, determinatum Efficiens Pestilentis veneni in corpore humano reperiri: si id non possunt, vtiloquuntur, à priori, quia æquè nobis ignotum est ipsum Efficiens, ac ipsa illius veneni natura: monstrare saltem debent à posteriori, hoc est, Pestilens venenum in corpore humano ab internis solum causis aliquando productum fuisse. Hoc donec ipsi probent, & Syllogismum palmario dignum affa-

affabrefaciant: nos tantisper talem Pestilentis vene-  
ni internam, & allati argumenti consequentiam, ne-  
gabimus. Idquè eò magis, quòd inter venenum illud,  
quod ex Spermate & Sanguine in corporibus corru-  
pto procreari dicitur, & inter Pestilens venenum, nul-  
lam prorsus animaduertimus similitudinem. Illud si-  
quidem vniuersum corpus, vt Galenus *libr. 6. de loc. af-*  
*fect. c. 4.* scribit, refrigerare potest, adeò vehementer, vt  
interdum & spiratio & arteriarum pulsus sensu depre-  
hendi nequeant: raro quin etiam lethale est, & non a-  
deò difficulter curatur. Hoc autem non frigidum, sed,  
si ita loqui licet, calidum & septicum, vti vocant, est  
venenum, longè diuersum à venenis refrigerandi vi  
pollentibus, vt plurimum lethale, & curatu per quam  
difficile. Vnde aliis accidentibus, & curationis modo  
longè diuerso nihil hīc dicam. Consequentia secundi  
argumenti plumbea itidem est & ficolnea. Sit ita; o-  
mnium particularum totius corporis singularia, & cu-  
iusque partis propriæ crasi opposita in corpore huma-  
no ab internis solùm causis procreata, dentur venena:  
num propterea omne id venenum internum, Cordis  
quod opponendum est Crasi, vniuersitatem & Pestilens  
est? Nequaquam. Etsi enim propria cuiusque partis  
κράσης vñica est: oppositæ tamen dyscrasias illam pro-  
priæ κράσεων dissoluentes, plures esse possunt. Sic maligni-  
tas Seminis corrupticordi etiam occultâ & perniciosa  
quadam δύραψις est opposita; quam tamen Pestilentem  
esse, non nisi ὡς μῆχαν affirmabit. Idem de aliis vene-  
nis, quæ Cordi vt plurimum aduersantur, iudicandū.  
Non tamen inficias imus, ex huiusmodi corruptis hu-  
moribus, vbi exigua ad putrescendum occasionem

*Venenum pœ-  
stilens non  
frigidum.*

2.

*Non omne  
Venenum  
Cordi oppo-  
situm Pestil-  
ens est.*

fuerint nacti, Pestilentes ac malignas Febres, non Epidemicas, sed Sporades generari: aut corpora huiusmodi humoribus ad suscipiendam veram Pestem disponi ac præparari.

## Quorum exuperantiam imputamus.

**C**AUSAS EXCREMENTITIORUM HUMORUM, QUI IN CORPORIBUS COLLIGUNTUR, HIC CONFUSÈ AC VELUT TUMULTUARIÈ PERSEQUITUR. EXCREMENTA PROUENIUNT AB IMBECILLITATE FACULTATUM NATURALIUM, NON VITALIUM AUT ALTERIUS ALICUIUS, QUÆ NULLA EST, SI ANIMALIS NON EST. IMBECILLITATEM PARIUNT INTEMPERIES, OB QUAS NATURALIUM FACULTATUM ACTIONES AUT DEPRAUANTUR, AUT IMMINUUNTUR, AUT OMNINO TOLLUNTUR. DEPRAUATIS AUT IMMINUTIS NATURALIBUS ACTIONIBUS, EXCREMÉTA IN CORPORIBUS COLLOGI, NEMO DUBITAT. QUANDO AUTEM NATURALIS FACULTAS NEQUE ATTRAHIT, NEC RETINET, NEC CONCOQUIT, NEC EXPELLIT, ID EST, VT CUM DISPUTATORE LOQUAR, VBI PARTES ILLÆ OB DYSCRASIAM OFFICIA SUA OMNINO IN TOTUM PRÆSTARE DESINUNT; TUNC NULLUS EXCREMENTIS AUT GENERANDIS AUF<sup>RE</sup>COLLIGENDIS, SED MORTI, LOCUS EST.

## Vel suum sumunt.

**Q**VID VERBA HÆC SIBI VELINT, NON INTELLIGO. QUID EST, HUMORES À NATURA INFIRMIUS EOSDEM REGENTE MORTUM SUMERE? QUID PRÆTEREA HUMORES INFIRMIUS REGERE, ALIUD EST, QUAM OB ALIQUAM PRÆTERRATURALEM CAUSAM OFFICIUM SUUM NON PRÆSTARE IN HUMORIBUS ATTRAHENDIS, RETINENDIS, CONCOQUENDIS & EXPELLENDIS, LOCO TEM-

tempore ac modo naturæ conuenienti? Næ inanes ha-  
sunt ἀδολεξίαι, quæ non decent Apodicticum.

## Infirmius quam in vlo,

**I**nfirmius natura humores nunquā regit, quam cùm  
officium suum in totum præstare desinit: hoc est,  
cùm planè defecta & emortua est. Verūm sic stantibus  
rebus nulla in corporibus generari excrements, pau-  
lo prius dictum est.

## Accedunt quin etiam:

**D**e materia corruptorum humorum ac venenato- *Examen can-*  
rum, excrementis videlicet, & de efficiente eoru- *sarum Pestis*  
dem principali causa, partium sc. debilitate, hactenus. *iuuantium.*  
Nunc causas iuuantes & principalium causarum mali-  
tiam promouentes, videamus: quæ sunt, secundū Di-  
sputatorem, 1. mora in corpore. 2. mistura Spermatis  
& Sanguinis corrupti. 3. absentia causarum tempera-  
tūm. 4. exrementorum suppressio, obstructio & co-  
hibita transpiratio. Has ordine eodem paucis expen-  
demus.

1. Mora seu Tempus, nihil ferè est rerum: nun- *Tempus nihil*  
quam enim est: sed aut fuit, aut erit: & propterea *ad Pestem.*  
nihil per se operatur, nec generationes aut interitus  
rerum iuuat, vel promouet. In quantitatise enim Ca-  
tegoria à Peripateticis collocatum, *Aristotel. libr. præ-*  
*dicament. capit. 6. & libr. d. Metaphysic. capit. 13.* non cau-  
sa, sed *πῦρ* & affectio est motus: ut idem Aristote-  
les *libr. 8. Physic. capit. 1. text. 11. & libr. d. Metaphysic.*  
*capit. 12. text. 18.* testatur: propterea quòd omnis motus

& mutatio sit in tempore, non in momento. II. Quo-  
modo humor genitalis aut menstrum corruptum, Pe-  
stilentis venenigenerationem iuuare aut promouere  
possit, vtcunque excrementitiis humoribus miscea-  
tur, non video. Humor corruptus alteri corrupto ad-  
ditus, aut eidem mixtus, corruptionem non reddit in-  
tensiorem, sed saltem diuersam, & copiâ vel quanti-  
tate maiorem. Sic Pestelaboranti mulieri si ex corru-  
ptione seminis vel vitiosorum humorum in locis mu-  
liebribus, suffocatio Vterina superuenerit, Pestilēs ex  
eo venenum non redditur vehementius, sed saltem  
morborum ac symptomatum fiunt *ou. d. g. p. a.* seu com-  
plicationes, quæ periculum augent, & curationem  
reddunt difficultiorem. Ad corruptionem Spermatis  
humani, quâ illud intra propria vasæ in venenum mu-  
tari posse, à plerisque dicitur, quod attinet, circum-  
spectiores aliquantum & catitos magis in affirmando  
Medicos esse velim. Quod etiam H. Mercurialem *lib. de*  
*morb. mulier. & libr. de homin. gener. ac Zoroastrum Tinel-*  
*Ium in consultatione quadam Medica monuisse, recordor.*  
Semen humanum, à calido Testium, quos etiam inter-  
principes partes referunt, nativo elaboratissima quæ-  
dam & perfectissima est substantia, & propterea cor-  
ruptioni in proprio loco minus obnoxia. Quod si id  
copiosius generatur, aut diutius retinetur, tum natu-  
ra oppressa aut ad excretionem stimulata, non per  
quietem solum seu per somnia (quod & fæminis & ma-  
ribus contingere scribit Galenus *libr. 2. de semen. capit. 1.*)  
sed etiam vigilantibus sponte, & vti Scaligero *exercit.*  
269. videtur, interdum sine sensu, se se exonerat, & idem  
celeriter ac sine aliqua corporis agitatione, iuxta Ari-  
stote-

*Spermatis  
humani cor-  
rupcio.*

stotelem *scit.* 4. *Problem.* 5. foras expellit. Nec tamdiu torpens eadem natura quiescit, donec omni via excretioni præclusa, in venenum transmutetur: Masculi- *Semen Mao-*  
*sculinum.* num præsertim semen, quod suâ naturâ calidius est &  
 siccus, ac corruptioni minus obnoxium. Videmus e-  
 nim infinitos sine detramento prorsus à venere absti-  
 nere: imò Athletis, ut robustiores inde fiant, castè vi-  
 uere, id est, semen non profundere, bonum esse docu-  
 it Galenus *libr. 1. de semin. capit. 15.* eosquè ab hoc librio  
 penitus abstinere scribit Scaliger *exercit. 269.* Gallis gal-  
 linaceis salaciiores, aut rectius monstrâ illos esse non  
 iniuriâ dixeris, de quibus Galenus *lib. 6. de loc. affect. ca. 4.*  
 scribit, quòd nisi assiduè coeant, capitis grauitate mo-  
 lestantur, cibos fastidian, ac febribus obnoxii, pigri,  
 torpidique fiant, nonnulli Melancholicorum exem-  
 plu præter modum mæsti ac timidi &c. quæ Sympto-  
 mata hysterica similia I. Hucherus *libr. 2. de sterilit. ca. de*  
*Vteri suffocat.* appellat. De muliebri certè semine nega-  
 ri non potest, id crudius, vel ut Galenus *libr. 6. de loc. aff.*  
*cap. 5.* scribit, frigidius & humidius esse virili: perfectu  
 id tamen est in suo genere, & ex diurna retentione  
 ob rationes supra dictas per se in venenum non muta-  
 tur. Muliercula illa vidua hysterica, de qua Galenus  
*lib. 2. de semin. cap. 1. & libr. 6. de loc. affect. cap. 5.* adhibitis re-  
 mediis conuenientibus, non corruptum aut venena-  
 tum semen, sed saltem multum & crassum, obortâ ti-  
 tillatione cum labore & voluptate, veluti per coitum  
 vsuuenire solet, excreuit; qualem voluptatem vene-  
 num excernendo nunquam percepisset. Nec Hysteri-  
 ci morbi, quos *anoviae* plerumque vocant, omnibus  
 virginibus aut mulieribus viduis continentibus con-

*Semen Mu-*  
*liebre.*

contingunt, sed iis quæ præuis succis abundantes con-  
cubitum expetunt: hinc loci muliebres ob libidinem  
*huius corruo* æstantes aut prurientes ad se sevndique prauos humo-  
*I 110 unde.* res attrahunt, quitandem cum spermate ex aliqua oc-  
casione ad Vterum profuso, commixti, ob loci condi-  
tionem & propriam naturam corruptuntur, & hy-  
stericorum affectuum cauſa euadunt. Qua ratione se-  
men retentum aliorum humorum corruptionem non  
iuuat, nec promouet; sed contrà mali humores in cul-  
pa sunt, vt semen muliebre illis commixtū simul de-  
prauetur. Mulieres certè multas videmus, quæ & o-  
ptimè purgantur, & in matrimonio minimè torpido  
viuentes veneri ad lubitum litant, vtero nihilominus  
ſæpè præfocari: non certè ob Sperma aut Menstruum  
ex retētione corruptū, sed ob humores excremētios  
in Vtero ex corruptione malignitate participatēs. Mē-  
ſtruū, retentū ad Suffocationē vterinam parum facere,  
Galenus libr. 6. de loc. affect. capit. 5. scribit; multò itaque  
minus facit ad Pestem, niſi quatenus ob Cacochymiam  
ad Pestem corpora disponit.

*erit* III. Quæ sunt illa causæ venenatos humores té-  
perantes? Hæ vel alterantes sunt, quas Disputator nō  
admittit, qui venena à natura alterari negat: vel hu-  
morum corruptionem per causarum corruptenti-  
um remotionem, impedientes; quæ quām benè tem-  
perantes appellantur, alii iudicent.

IV. Excrementorum suppressio, obſtructio, cohī-  
bita perspiratio, non promouent, nec iuuant Pestilē-  
tis veneni internas causas generantes; sed disponunt  
corpora ad Pestem ab externa aliqua causa commodi-  
us ſuscipiendam. Quod si verò de Febribus Pestilenti-  
bus

bus, quæ ab internis producuntur causis, sermo est; tū obstruktionem, accohibitam perspirationem, necessariò concurrere, cum P. Salio *li. de feb. pest. c. ii.* lubenter concedimus.

## EXERCITAT. AD T H E S. XI.

**E**xternas tandem Pestilentia persequitur causas: more iterum suo: *αὐτοφῶς*, & confusè: hoc scilicet Sepiæ succo effuso, ne capiatur: cautè præuidens. Externas Pestis causas statuit Victum communem, & Aërem. De Victu, sub quo in præsentia cum Galeno *lib. 2.* Externæ pestis causa. *de natur. hum. tex. 2.* solum Cibum, Potumquè comple-  
timur, nondum inter Medicos composita lis est: quo-  
rum quidam Cibum & Potum Pestis causam esse affir-  
mant: alii contrā negant. Hippocrates *libr. 2.* *περὶ θύσιν*, Pestilentia, vt & omnium Popularium mor-  
borum, communem causam solum Aërem esse, scri-  
ptum reliquit: cùm is scilicet aut copiosior, aut par-  
cior, aut etiam plenior, aut & *νοτεροῖσι πατόμασι* in-  
fectus, in corpus subierit. Idem Hippocrates  
*libr. 2. de natur. human.* postquam *context. 2.* omnium  
morborum causas in Diætam & Spiritum, cuius at-  
tractione viuimus, retulisset, in sequenti *text. 3.* hæc  
scribit: Vbi complures vno morbo eâdem tempestate  
vexantur, in id quod maximè commune est, quoquè  
omnes utimur, potissimum reiicienda causa est. Id au-  
tem est, quod inspirando trahimus. Quod enim viuen-  
di cuiusque nostrum ratio, in causa non sit, iam liquido  
constat, cùm morbus omnes continentur attingat, &  
iuue-

iuenes, & senes, & mulieres, & viros, perindeque  
temulentos & abstemios, tam eos qui mazā quām qui  
pane vicitant, & eos qui multis, quām qui paucis ex-  
ercitationibus vuntur. Nō igitur Vicitus ratio assignā-  
da causa est, cūm cuiusvis generis victu videntes, eodem  
morbo corripiuntur. Et context. 4. subiungit: At verō  
vbi morbus aliquis populariter grāslatus fuerit, & nō di-  
cūt̄ in causa esse, sed quod spirando ducimus, ma-  
nifestum est, ipsumquē ῥoνγήν ūra δπίνεται ( quam Ga-  
lenus in comment. αναθυμίασιν, ιδότης μετ̄λον ὅλης τῆς σώματος  
εχόντη πίστην λυμανούεν τοῖς σώμασι appellat ) plane  
obtinere. Galenus in libr. 2. de natur. human. text. 3. non re-  
cte quidem dictum putat, quod ortus communium  
morborum in aērem solummodo sit referendus: cūm nō  
modò cibus & potus communis, sed etiam communes  
tum occupationes, tum labores, communes morbos  
interdum generant: vt idem in proēm. lib. 1. Epidem. testa-  
tur. Excusat tamen Hippocratem, inquiens, non fre-  
quenter accidere, vt per ingestos cibos morbus com-  
munis ciuitatem, vel nationem, vel exercitum per-  
uadat: sicut neque per communes tum occupationes,  
tum labores. Hisce enim neque omnibus simul obui-  
amus, neque integrum diem subiicimur: Aēr autem  
solus extrinsecus omnes continuo ambit, & omnibus  
inspiratur. Ab omnibus aliis actionibus homines qui-  
escunt, inquit Hippocrates libr. de Flatib. ab hac tamen  
sola actione nunquā desistunt animātia, quin aut spi-  
ritum adducant, aut reddant. Aērem enim vitare non  
possimus, Galen. 3. de humorib. text. 3. vt pote qui perpetuo  
nobis quasi connatus adhæret, Galen. lib. 1. de sanit. tuend.  
cap. 4. & eundem perpetuo attingere est necessarium,

Galenus  
Hippocratem  
conciliat.

Galen.

Galen. in artic. Medic. cap. 85. in eoquè morari, ipsumquè spirituducere. Galen. 3. de humorib. tex. 3. Et licet interdum nonnullorum communium morborum, in communem cibum & potum, iuxta Galenum, ortus referatur: nullibitamen apud eundem reperire licet, veram Pestem à cibo vel potu communi, qualicunque modo depravato accorrupto, ortum habuisse. Morbi enim, quos quidam ex libr. Galeni de cib. bon. & mal. succ. c. 1. obiiciunt, quiquè diurnam annonæ caritatem, & usum ciborum corruptorum sequebantur, non fuere Epidemici, multò minus vera Pestis, sed Sporadici, & omnino inter se contrarii; cum alias ob causas, tum ob victus rationem, quo varie & contrarias vires habente, superiore victus inopiâ usi sunt. His enim rebus, quorum cuique copia erat, vescebantur: quæ quum dissimiles variæquè essent, eas nonnulli sumebant, quæ vel acido, vel acri, vel amaro salsouè succo forent: alii quæ austero aut tenaci, aut adstringendi, vel refrigerandi, vel egregiè humectandi vim obtinente, aut quæ veneni participes extitissent: ut apud Galenum l.c. videre est. Quapropter assurerere non veremur, cum præstantissimis quibusque Medicis, qui nō heri aut nudius tertius Medicinam didicerunt, sed in eādem cum docenda, tum facienda cōsenuerunt, Victum quomodo-  
 docunque corruptum ac depravatum, nisi Pestilentibus μισθωτοι infectus fuerit, non veram Pestem, sed cum Epidemicos alios, tum Sporadicos ac priuatos procreare morbos; qui à sola interdum Putredine dependent; interdum etiam malignitatem coniunctam habent, ac pestilentes frūt. Quos si quis cum I. Cratone Priuatam Pestem, aut cum Galeno πρετός λοιμώδεις idias

*Victus corrue-  
pius Pestem  
nongignit.*

in 3. Epidem. appellare voluerit, ei nullam litem mouebimus: modò eosdem à Publica Peste, οὐωνύμως, sic dictâ, quam à morbidis inquinamentis ( quae ταῦτα λοιμᾶ appellat Galenus ) aéri vel alicui somiti communicatis, & per inspirationem aut arteriarum ad cunctem desinentium vibrationem attractis, solum oriri, cum eodem I. Cratone ( qui supra quadraginta annos, ut ipse met in quadam epistola fatetur, eâ de re solicite cogitauit ) intrepidè asserimus, distinguat. Hæ namque Pestilentes febres idios sic dictæ, homines καὶ χωρὶς λοιμᾶ apprehendunt, Galen. in 3. Epidem. & ab ἀξιολόγοις antiquis Medicis λοιμῶδεις αἰτεῖ λοιμῶν appellabantur, Galen. libr. 3. de præsag. expuls. cap. 4. eam quippe νοσερὴν διπλεῖσι non habent, ut Pestis: & licet multis exitioſæ sint propter putredinis vehemētiam, & quod multorum tunc corpora malis succis repleta reperiuntur, eandemquæ simul aeris intemperiem ferunt: adeò tamen contagioſæ non sunt, nisi in valde prædispositis. Id quod in castris ad Iaurinum obseruavit I. Crato epistol. 162. in quibus innumerabiles propter modum pestilentibus febribus perierunt: quas tamen etiamsi quotidie cum ægrotantibus sæpè multumquæ fuerit, contagione disseminatas, atque ideo exitioſæ fuisse, nulla animaduersione consequi se potuisse, proridit. Sic persæpè, imò singulis ferè annis, æstatim tempore aut sub autumnum, in magnis & populosis Vrribus, vbi varii & multiplices in victu & aliis rebus errores committuntur, videmus nonnullos Pestilentibus febribus coripi non contagiosis: à vera Peste non naturâ modò & signis, sed etiam curandi ratione ( quod quidam per-compendia Medici non obseruati) differ-

Febres pestilentes non contagioſæ.

differentibus. In his tamen Pestilentibus febribus saepe accidit, ut putredo seu corruptio ad eum gradum deueniat, ut corpora tandem *putredinem* exhalent, quæ in aere aut fomitibus recepta Pestilentia causa fiunt. Cum præsertim corpora huiusmodi febribus & morbis Pestilentibus extinxitorum, aut non sepeliuntur, aut vix humo obtenguntur: hinc putrescentia aërem inficiunt venenosis halitatibus; qui accedentibus interdum causis aliis, Cordis imprimis ob famem & metum debilitate, grauissimorum in obsidionibus, castris & similibus locis, Pestilentiarum, causæ fiunt. Hæc de Victu.

Ad Aërem quod attinet, qualem hic naturā habet, ita nos afficit, iuxta Galenum li.2.de Crisb.c.3. Sennit etiam Hippocrates, pro aëris circumfusi (in quo nos semper versari, comedere què ac bibere, & vigilare & dormire est necessarium, Gal.in art.Medic.cap.85.) constitutione animantium corpora affici: quæ quidem siccantur in sicciori illius temperie, humectantur verò in humidiori &c. Gal.lib.1.de natur.bum.text. 44. Mutatur autem Aëris constitutio, quia aut calefit, aut frigefit, aut exiccatur, aut humectatur, aut secundum horum patitur coniugationem; vel καθ' ὅλην τὴν στιαν alteratur. Galen.in art.Medic.capit.85. Cum primis alteratur, aut etiam secundis manifestis qualitatibus aer, tunc, quemadmodum de Victu etiam diximus, fæcundus potius est in febres putridas aut malignas, quam in Pestem. Disponit quin etiam talis aëris corpora ad promptius suscipiendam Pestem: causam præterea interdum præbet, ut putredo ac corruptio interdum istum gradum, qui νοσεγνῶστις εστι, habeat,

*Vt aer, ita corpora affecta sunt.*

consequatur; & seminariorum malignitas in eo aug-  
atur, & acrius sauiat. Cum autem Aer καθ' ὄλην τὴν γο-  
νιν patitur, & νοεροῖσι μίσθιμαι ac pestilentiae seminarioris  
infectus in corpus subit, siue per os & nares, siue per  
cutis spiracula, dum eò terminantes arteriae oscula sua  
aperiunt; tunc eum Pestis vera & propriè sic dictæ, ac  
Publicæ causam esse, cum Hippocrate, Galeno, Mer-  
curiali, Cratone, Argenterio, Altomaro & sexcentis  
aliis clarissimis Medicis statuimus. Pestis enim non ex  
qualitate quadam manifesta, sed occultâ & venenosâ  
suum sumit generationis principium, ut Disputator i-  
psem suprathesis affirmat. Et νοερὴ δύσκολος ἡ αἰσθη-  
τοσις, non ἀπλῆ πιότητι, sed ιδίοτηλη ὅλης τῆς γενίας corpori-  
bus noxia, &, ut Hippocrates lib. de Flatib. ait, τῇ αὐθε-  
πίνῃ Φύσις πολέμια est. Galenus præterea libr. de Theriac. ad  
Pison. c. 16. scribit, prauam quandam aëris ad corrupti-  
onem promptam mutationem in Pestis effici, & homi-  
nes quum respirationis necessitate periculum euitare  
nequeant, ipsum aërem, veluti Venenum quoddam ad  
se per os attrahere. Et Aristoteles 7. problem. 8. τὰ λοιμῶδη  
ex spiritu seu aëre corrupto (appellat πνεῦμα Φαῦλον καὶ  
βαρύ) prouenire scribit. Quod si itaque aer corrupti-  
tur, & venenum aut venenosus fit, & nō simplici qua-  
litate sed proprietate totius substantiae noxius fit: ideo  
non in primis qualitatibus ipsum alterari, sed in tota  
substantia mutari necesse est. Id respiciens Hippocra-  
tes, vbi ιδίοτητι τῆς γενίας aer corporibus noxius est, curan-

Hippocratica  
Pestis cura-  
rio.

di rationem non per contrarias perficit qualitates, pri-  
mis aëris qualitatibus oppositas; sed per locorum mu-  
tationem, & modicæ respirationis ysum. 2. *denat. hum.*  
4. Idem Luem illam, quæ ex Æthiopia Græcos inua-  
debat,

debat, igne per totam Athenarum urbem accenso, dissipatus seu profligaturus non simplicem accepit lignorum materiam, verum certa floresque sua uissimos alimentum ignis esse voluit, vnguenta que pinguisima & odorifera ipsi superfundi: quemadmodum Galenus lib. de Theriac. ad Pison. testatur. Aēr na. 9. ὁλην στοιχα Vnde aeris ita mutatus, vel cælitus id mali habet: vel à causis in- corruptio. feroribus. Cælestes influxus quidam Peripateticis sal- 1. serebident, & superstitionem eorundem obseruationem Cælestis in- esse contendunt, nihil præter Lumen & Motum Astris fluxus affer- attribuentes: imò ne motum quidem per se iis largi- tio contra entes, siquidem hunc orbibus solùm concedunt. Ve- Peripateticos rùm & vanissimi quidam Astrologi multum peccant, qui plurima vana & superstitione astris attribuunt; quorum propterea nugas & vanitatem non tuemur: ita ex altera parte in Naturam, eiusque Creatorē Deū iniurii, imò blasphemisunt, qui contra omnem rationem, contra experientiam & obseruationem cœlestibus corporibus omnem δύραπιν τρεπγητικήν adimunt: i- isquè nihil nisi lumen relinquunt, motum verò orbibus tribuunt: quos tamen non per se aut ab interno principio, aut naturaliter, sed à Dæmone quodam rotatore, & sic violenter circumagi contendunt. Nec minori reprehensione dignus est Disputator, qui in alia quadam & saepius allegata Disputatione, Orbibus cœlestibus (quos quidam in æthere esse non absque ratione negant, alii autem nullis præditos viribus, quas in hac exerant inferiora corpora, assérunt) id tribuit, quod illis clarissimis mundi luminibus & lucidis cæli corporibus, fuerat adscribendum. Quid enim Astris opus fuit, si Sphæræ suo motu quiduis efficiant? Astra, *Astris, non*

*Orbibus sua  
crepiterat  
in hæc infer-  
nora.*

non Sphæræ, quæ nullibi sunt, suâ naturali virtute calorem & frigus, ac alias complures manifestas & occultas qualitates in hæc inferiora corpora vibrant, & mutationes in hisce varias efficiunt, Hæc effectio, seu eius modus latens est & occultus: Disputator tamen (qui fortè etiam. vti in prouerbio est, graminis subfultantis sonum argutâ nimis aure venari valet: ) serem exquisitè tenere, putat; & in præsentे thesi Cælum qualitates primas coniungere & miscere, & ex mixtis secundam quandam qualitatem generare, & natam aëri imprimere, theatricè proclamat. *Ego-  
sigeror* hic non exprimit: in alia tamen Disputatione in Cælo (quod tamen sublunarius huiuscmodi qualitatibus carere, totus Peripatus clamat) hanc officinam esse scribit, ex quo malignæ qualitates non in aërem modò, sed & in reliqua elementa, demittantur. Hæc quām absurdâ sint, non Disputator modò, sed & eiusdem Discipuli, qui non sunt *duorum*, facile animaduent: & ideo, quia præter opinionē longiores fuimus, horum errorum refutatione supersedemus. Inferiores causæ, quæ aërem Pestilentem reddunt, variæ sunt; quas non modò Aqua & Terra, verūm etiam animalium cadavera, ut hominum, locistarum, vermium, draconum, piscium, & aliorum non sepulchorum ac putrescentium, suppeditant: imprimis vero *rompy dñe*, quæ ex hominibus Pestis decumbentibus aut mortuis expiratione, & perspiratione exhalat, & sæpè formatibus adhæret, præ aliis seminaria Pestis per aërem spargit, quæ vires acquirunt eundo, & sæpè ventorum vi in alia loca (quod in Attica contigisse Pestis testatur Thucydides) deseruntur; uno ab his cor-

2.  
*Causa aërem  
inficienes  
inferiores.*

pore

pore infectio, plurima deinceps inficiuntur; quia  
νοσῶδες est id, ut Aristotel. section. 7. problem. 8, scri- Νοσῶδες  
bit, quod spiritu trahitur, ab ægro scilicet reddi- quid,  
tum, & propterea eundem in recipiente morbum  
efficiens.

## EXERCITAT. AD T H E S. XII.

**O**ptimâ quidem ratione ab examine præsentis the-  
seos abstinere potuisse: ut pote qui de Signis Di-  
agnosticis Pestis in exercitatione ad thesin tertiam, ab-  
undè satis, quantum scilicet ad præsens pertinere vi-  
debatur negotium, dixi. Quia tamen Disputator va-  
næ Tautologiæ, & inani eorum, quæ in tertia pro-  
posuit thesi repetitioni, ἀπόπειραν quædam hac in thesi  
adiunxit: ideo nec nobis vitio vertetur, si supra dictis  
pauca quædam addiderimus, & Lectorem de quibus  
dam, quæ sunt τοῖς εἰρημένοις ἀντιλεγόμενα, admonue-  
rimus.

### Cum proinde,

**N**on quatenus non immutare potest Cor pestilen-  
tiam δυσηγοσίαν vel morbum, nec quatenus ean-  
dem à se profligare nititur, propria & morbum indi-  
cantia Symptomata Pestis accidunt: sed quatenus Pestis  
Pestis est, & talis Cordis morbos, id est, quatenus afficit  
Cor, & non quatenus à Corde afficitur. Et qualitatibus  
seu dyscrasias partium non deberi expulsionem seu  
eua-

euacuationem, sed alterationem per contrarias qualitates etiam pueri norunt.

### Pulsus.

*Pulsus in peste.* **P**ulsus in superioribus exiguum, inæqualem ac pressum, cum reliquis Symptomatibus Pestem semper paribus insequi vestigiis, statuit: nunc mutatā sententiā, interdum eundem pleniorē ac firmiorē cōcedit: non itaque semper exiguus, obscurus &c. Intercidentes quin etiam, quos Intercurrentes quoque Pulsus appellat, in Peste rarissimi sunt: Frequentes namque Pulsus, quales sunt Peste affectorum, ob breuem quietem, non facile Intercidentem percussionem admittunt. Intermittentes autē frequentiores sunt & periculosiores. Illi licet onerata ac pressam virtutem significant, eam tamen validā adhuc esse & integrā & cum morbi causa pugnantem, indicant & proinde victoriā promittunt. Hi maiorem virium debilitatem significant, & propterea periculum plerumque denotant. In Intercidentibus post aliquot pulsationes, vna vel plures pulsationes interueniunt, quae inæqualitatem inducunt crebritatis & celeritatis. Intermittentes post aliquot pulsationes, vna aut alterā pulsatione deficiunt, & inæqualitatem habent raritatis. Plenus Pulsus opponitur Vacuo, & plenam arteriā denotat. Sed quid Plenitudo arteriæ ad cognoscendā Cordis duorum oriar malignā & ἀρρεπτον? Firmorem esse pulsū, quem semper exiguum, inæqualem, pressum, obscurum, dixit, est μέγα λίαν αἰτημα, & superbū postulatum, ac lectorem plus quam credulū requirit. Firmus est pulsus

*Pulsus frequens.*

*Intercidens.*

*Intermittens.*

*Plenus.*

*Firmus.*

fus idem qui validus, stabilis, constans, & à viribus fit  
validis ac robustis, non à debilibus, quas in Peste sum-  
mè elanguescere in subsequenti linea legimus. Sed &  
hoc male. Etsi enim ob affectum Cor vires in Peste ne- *ωδιοχη*  
cessariò sint languidæ ac debiles; ea tamen debilitas *debilitatis in*  
suos habet gradus & latitudinem: nam si vbique esset *Peste.*  
Summa, omnes Peste laborantes ex æquo & necessa-  
riò morerentur.

### Succedunt per consensum.

**M**Anifesta hæc est, & turpis contradic̄tio. Corporis  
lassitudinem ac veluti defatigationem, de qua in  
superioribus plura diximus, per consensum omnibus  
enarratis Symptomatibus succedere, h̄ic affirmat: in  
superiori autem tertia thesi idem expressis verbis ne-  
gauit.

### Respiratio difficilis.

**R**Espirationis, quam Hippocrates *πνεῦμα* appellat, *Respirationis*  
principalissima vtilitas est, ut Galen. libr. de vtil. respiratione. *vtilis.*  
*cap. 3. & 6. lib. de caus. respir. lib. ωδιδυστων. cap. 4. & alibi docet,*  
natiui caloris conseruatio: cuius focus cùm sit Cor, ut  
Aristoteles lib. 3. de hist. animal. cap. 3. lib. 1. de partib. animal.  
*cap. 4. Galen. lib. de fæt. format. lib. 9. Method. Meden. cap. 10. &*  
*alibi, id nominant: ideo Corde præter naturam affecto,*  
non minus Respirationem quam Pulsum ( quæ vtplu-  
rimum proportionem & analogian quandam inter  
se habent, ut in Diexodica Galeni tractatione *libr. 1.* *Respiratio*  
*ωδιδυστων. videre est) præter naturam immutari, & sic* *& Pulsus ad*  
Difficilem ac præternaturalem respirationem causa-

*Q*ri, ne-

ri, necesse est. Huius differentia ut plurimæ ac diuersæ, immò inter se contrariæ sunt: ita vnius eiusdemque morbi propria πάθη, aut propria accidentia esse non possunt, sed ut plurimum plurimorum etiam morborum sunt signa Παγενόμενα, & ad αφένωσιν facientia: id quod non ex Epidemicis modò Hippocratis historiis, verùm etiam ex Galeni libris αἰδί δυτῶν. vbi hæc κατά διέξοδον tractantur, manifestum est. Quapropter ἀλογώς. egit hic Disputator, qui Difficilem respirationem in genere & simpliciter Pestilentia signum esse voluit; nec indicauit, quæ δυτωνίæ differentia Pestis sint propriæ, & quæ aliis morbis communes. Id quod certè hic non minùs, quàm in differentiis Pulsuum enarrandis, facere debuisset.

### Ad somnum proclivitas.

*Quasi-Somn. nra in Peste.* **N**on est verus Somnus hæc affectio, sed potius quædam vigilandi impotentia, summè periculosa: ab imminutis aut corruptis à praua qualitate spiritibus & virib-labefactatis exorta: & inter Παγενόμενα signa referenda. Et nec semper nec omnibus Pestis laborantibus hoc accidens proprium est: plurimis namque Vigiliæ molestissimæ sunt. Apud Hippocratem 3. Epid. 3. 28. qui calescens cœnauit, à die sexta usque ad vndecimam, in qua obiit, assidue vigilauit.

### Fastidium cibi. Vomitus.

**P**lurimi Pestis laborantes cibum non appetunt: alii cūdem auersantur; idquè ob causas diuersas. **Q**uod autem

autem iidem perpetuo euomant, est, si quid aliud, falso-  
sum, nec dignum quod rationibus refutetur. Si  
quidem non sensus modò ipsi, sed & propria consci-  
entia Disputatorem falsi conuincit.

### Vrina turbida, nigra, fastida.

**H**ijsmodi Vrinæ non ad cognitionem morbi, sed Vrina perti-  
net ὡρίω-  
σιν. ad ~~περίωσιν~~ pertinent, nec apud omnes Pestelabo-  
rantes, sed apud morituros, obseruantur. Sæpè sanis  
similes sunt: antequam scilicet pestilens venenum hu-  
mores corporis putrefaciat: aut cum citra manifestam  
qualitatem calidum natuum cum impetu aggreditur,  
& vitam citius abrumpit, quam humores corruptat.  
Cum verò idem venenum humores aggreditur, & ex  
horum putredine Febris pestilens Pesti superuenit,  
tunc necessariò Vrina variis modis immutatur pro va-  
riete ac diuersitate humorum, putredinis, coctionis  
vel cruditatis. Hinc Vrinæ non semperturbidæ, nigræ  
& fastidæ apparent: secundò sunt albæ, modò cro-  
ceæ, rubræ, liuidæ, oleosæ, spumosæ, tenues, pelluci-  
dæ, crassæ, iumentorum vrinis similes: & ut uno verbo  
dicam, omne lotii prauum & detestabile genus in Pe-  
ste videre contingit. Ex quibus nullum morbum seu  
Pestem indicans signum desumi potest: vt pote quæ  
non supra malam qualitatem seu intemperiem Cor-  
dis, sed supra humorum conditionem, & corrupti-  
onis putredinisquam modum, & naturæ a-  
ctionem aliquid indicare  
possunt.

In Peste om-  
nia praua lo-  
tii genera.

Vrina non in-  
dicant pestem

## Aluus &amp; fætentia &amp; atra.

*Variatio ex  
crementorum  
alui.*

**Q**uod de Vrinis diximus, idem in Alui etiam excrementis locum habet. Hæc enim interdum natura alui. lia sunt: nonnunquam suppressuntur: aliquando liquida quidem prodeunt, sed non fætentia: sæpè sunt biliosa, syncera, abundè saturata & affatim colorata, porracea, liuida, nigra, leuia, pinguia, spumantia, colliquatiua &c. Huiusmodi excretiones pestilenti Febri communes sunt cum pluribus aliis morbis: & ad morbi morem cognoscendum, ac exitu in prædicendum plurimum faciunt: quemadmodum ex Epidemicis Venerandi nostri Hippocratis historiis manifestum est.

## EXERCITAT. AD THE S. XIII.

**H**æc tenus de illis Symptomatibus Pestis, quæ præ uitatis venenatæ, seu essentiæ suæ ratione accidūt, se egisse insinuat Disputator: sed quām benè & quām verè, ex dictis patet. Nunc alia etiam, eaquè innumera Symptoma Pestis succedere tradit: quæ cùm alias ob causas, corporum scil. atquè humorum & morborum complicatorum cōditionem, superueniant: ideo prætermittenda ea, nec inter propria Pestis accidentia numeranda vel recensenda esse, statuit. Verū & hæc thesis suis non caret absurdis erroribus ac contradictionibus: quas Lectori paucis ob oculos ponemus.

Pestis

## Pestis propriorum accidentium.

**Q**Væ in tota thesi propria Pestis accidentia vocat, ea circa finem, sui credo oblitus, aut aliud quidpiam, quod fortè de pane fuit lucrando, agens, non inter Propria sed Communia Pestis accidentia & symptomata esse referenda, scribit. Sic quicquid in buccâ venit, aut forte fortuna in animum aliis curis occupatum incidit, id temerè effutire, & apud Discipulos suos inconsideratè nugari, audet : parui pendens illud Dic cur hîc.

## Ad exteriora protrudit.

**A**bscessus suprà in thesi tertia, vnâ cum aliis ibi e-narratis symptomatibus, Pestem paribus semper insequi vestigiis, nec aliunde eidem vel ex corporis cōstitutione, vel humorum conditione, vel ex consensu, superuenire, scribit. In præsenti verò loco quasi studio ludum iocumquè faciens, contrarium asserit, & Abscessus, quos Cor ad exteriora protrudit, non ex naturâ Pestis, sed pro corporum & humorum, quos inficit Pestis, ratione, quorum etiam naturam redolent, suboriri scribit.

## Febris præsertim, sed Symptomaticis.

**D**E Symptomaticis etiam Febris, quantum quidem ad præsens institutum sufficere videbatur, supra

egimus. Nunc vnicum absurdissimum absurdū, quo totam suam de Diagnosticis Pestis signis doctrinam concludit, perpendant Lectores. Scribit namque linguae scabritiem, sitim validam, vigilias continuas, mētis alienationem &c. febribus quidem accidere, sed Symptomaticis; hoc est, non illis Febribus, quae morborum rationem habent, sed iis, quas veluti symptomata quādam esse superius ex Galeno docuimus. Hoc absurdum esse luce meridiana clarius est. Norunt namque omnes, & fatentur iij quibus veritas Cordi est, prædicta symptomata in acutis & ardētibus febribus, quae morbi rationem habent, esse frequentissima: in symptomaticis autem febribus rariora. Quin eadem etiam in Peste non semper obseruari, Hippocrates noster in Epidemiis testatur.

## EXERCITAT. AD T H E S. XIV.

*Prognostica  
Pestis signa.*

*Prædictiones  
in acutis incertæ.*

**P**rognostica tandem Pestis signa persequitur Disp̄utor: quæ etiam si in aliis morbis plerumq; sunt ð̄ti ò avóuea, hoc est, quæ non illicò vt morbus inuadunt, sed aliquantò pōst sese proferunt, proindequæ Superuenientia nuncupantur; in Peste tamen, vt in quodam Prognosticorum loco N. Taurellus scribit, quæ ex sua natura lethalis ac præceps morbus existit, omnia ferè Signa, quibus ipsa dignoscitur, Prognostica simul sunt: non tamen certa, sed sāpè insidiosa & fallacia. Si namque acutorum aliâs morborum non omnino sunt certæ prædictiones salutis aut mortis,

Hipp.

Hippocrat. 2. aphoris. 19. & Celsus lib. 2. capit. 6. testantur: Pe-  
 stis certè easdem reddit incertissimas: non enim acu- maximè in  
 tissimus modò est morbus, ac propterea instabilis: sed Peste.  
 etiam, vt ex dictis liquet, occulta vi Cor vitalesquè  
 spiritus imò & alias Principes partes aggreditur. Hinc  
 fallacibus notis nullus hac lue morbus insidiosior: sæ-  
 pè in facie salutem, funus in tergo gerit. Fit enim in-  
 terdum, vt omnes facultates benè habere videantur,  
 pulsus & vrina ad naturalem proximè accedant, con-  
 furgat & ambulet æger, edat & mente sit illæsâ, nul-  
 lumquè sentiat in vlla parte dolorem: qui paulò pòst  
 mortuus tamen concidit. Hermocrati apud Hippo-  
 cratem 3. Epidem. 1. 8. sub vndecimam diem omnia  
 visa sunt remissa, isquè decimaquarta die à febre libe-  
 ratus, vigesimâ septimâ tamen obiit. Sic nonnulli sub  
 οὐδρωμῇ grauissimorum symptomatum euaserunt, &  
 in ipsis, vt aiunt, funeribus reuixerunt, & præter spem  
 deuicto morbo triumphum egerunt: qui tamen non-  
 nullis magno admodum constitit. Quos enim perdere  
 aut vitâ orbare non potest, iis tetra sœuissimæ labis  
 stigmata relinquunt: hi excæcantur; alii obsurdescunt;  
 nonnullis rigent contrahunturquè nerui; putrescunt  
 nonnullis summi pedes. Galen. libr. 3. de usu part. capit. 5.  
 Multis, scribit Hippocrates 3. Epidem. 3. 25. brachium  
 vel solidus cubitus decidit; quibusdam totum femur  
 vel tibiæ denudabantur, pesquè totus. Fuere quibus  
 pudenda perierunt. Quidam amissâ memorâ om-  
 nium rerum obliti sunt, adeò vt neque seipso ne-  
 que familiares agnouerint, suorum etiam nominum  
 obliti, si Thucydidis testimonio libr. 2. belli Pelopon.  
 (sed quid dubitem?) fides est adhibenda: quod  
Pestis reli-  
quia.  
etiam

etiam Galeno placuisse legimus lib. quod anim. mor. corp. temper. seq. c. 5. & lib. de diff. sympt. cap. 3. & lib. 2. de caus. sympt. cap. 7. Haec mortis sunt ludibria, quibus non modò imperitos ridet Medicos, benè sperantes, si quando præter rationem subleuantur ægri, quantumuis interea θωρακόν πεπονίαν sub isto persuasionis illicio delitescat: sed etiam peritos pariter ac eruditos vana spe vanoquè metu variè eludit, vera Medico-mastix. Hac de causa meritò est reprehendendus Disputator, qui in præsentiarum tam ieiunè, tam frigidè, tamq; oscitanter de Prædictionibus in Peste egit, vt ferè in tota disputatione

*Notatio non nullorum erorum.*

1. nullibi magis dormitasse videatur. Primum in eo turpiter hallucinatur, dum Pestis Prognostica signa omnia ad propria Pestis accidentia refert; & sic ex solo Morbo, cuius illa sunt accidentia, haurienda esse Prognostica signa insinuat: cum contrà in hac Lue non minus quam in aliis morbis, Prognosticorum signorum fontes duo sint, Morbos & Natura ægrotantis: quod Galenus lib. 2. prognost. tex. 6. hisce verbis expressit: Summa totius præfigitationis in morituris, conualitatisque est, quotiesvis ægrotationis cum ægrifacultate

2. conferatur &c. Secundò malè Prognostica signa in Vitiosa diuisio signorum. ιπτίσμα & πυρηνή diuidit: cum haec non sint species αἰνιδηγημέναι; sed πυρηνῖοι opposi soleant σφρεῖα λύσιμο dicta: ιπτίσμοις verò ea, quæ coctionem & cruditatē, salutem & mortem, significant. Hæc διάγεσις desumitur ex rebus significatis: illa autem ex modo significandi. Admonitos hīc studiosos Lectores velim, quæ admodum Signi nomen apud Medicos latius accipiatur, quam ab Aristotele in Analyticis: ita eam, quam inter

*Signi significatus apud*

inter ομεῖον & περιηγεῖον Philosophiex modo significā-  
di constituant differentiam, à Medicis non agnoscit, &  
propterea negligi. Nam nec Hippocrates ipse diffe-  
rentiam hanc ex modo significandi curiosè obseruat:  
qui lib. 3. prognost. 39. non de περιηγεῖοις solū (quæ sola  
certa esse signa volunt) sed etiam τὰς ἄλλας ομεῖων  
(quæ dubia & ambigua vocant) scribit: probēnosse,  
minimèque ignorare conuenit, quod quois anno  
& quois anni tempore, mala malum, & bona bonum  
denunciant: quandoquidem & in Libya & in Delo, &  
in Scythia, prædicta signa vera esse comprobantur.  
Hinc etiam Galenus, quantum quidem ego recordari  
possum, illius discrepantiæ inter Signum & Tecme-  
rium, nullibi, nisi in commentario in allegatum Hip-  
pocratis ex Prognosticorum libro locum, exquisitè  
mentionem facit Tertio Disputator inconsideratè  
ea quæ in præsente thesi recenset Prognostica signa,  
Propria Pestis accidentia vocat: cùm ea fere omnia Pe-  
sti cum aliis, ut paulò post apparebit, acutis morbis  
sint communia, & nonnulla non ex Morbo, sed Natura  
viribus desumpta.

### Symptomata non ingrauescunt.

**L**ixis & calonibus notū est, in omnibus acutis mor-  
bis, si viribus integris symptomata non ingraue-  
scunt, sed remittunt, bonum id esse indicium. Qua-  
Propter non est hoc Pestis proprium accidens, sed ei  
cum aliis morbis commune: nec certum & indubita-  
tum, sed ob causas prius enarratas, in Peste særissimè  
fallens: & propterea in eadem thesi, paucis interiectis

lineis, per adole<sup>g</sup>ia<sup>s</sup> inanem, sed Disputatori familia-  
 rem, non fuit temerè repetendum. Et licet remissio  
 symptomatum constantibus viribus bona est: non ta-  
 men propterea eorundem exacerbatio & augmen-  
 tum illicò malum censendum Symptomata namque  
 s<sup>a</sup>pè bonis ægrorum rebus in statu augmentur; iuxta il-  
 lud Hippocratis lib.2. aphor. 47. dum pus conficitur, do-  
 lores atque febres magis incident, quām iam confe-  
 cto. *Κεισημα* quin etiam signa, seu quæ Crisin antece-  
 dunt accidentia, ex naturæ perturbatione orta, ita s<sup>a</sup>-  
 pè ingrauescunt, vt adstantes & ignaros metu mortis  
 summoperè exterreant. Est enim, qui ante Crisin, vt  
 Galen. libr. 1. de dieb. decret. capit. 1. & lib. 1. aphorif. 12. scribit,  
 frequenter spiritum subitò difficilius trahit, vel deli-  
 rat, vel caliginem, vel splendores ob oculos versari pu-  
 tat, vel lachrymas fundit, vel oculos rubentes habet,  
 vel tempora grauia, vel in ceruice dolores percipit: in-  
 terim vel capite dolet, vel nigra quædam seu obscura  
 oculis offundi queritur, vel stomacho laborat, vel in-  
 ferius labrum quasi tremulum ac intro contractū ha-  
 bet, vel rigore vehementi conquassatur. &c. Quinetiā  
 plerisque præcordia attrahuntur; iidem malè se ha-  
 bent, exiliunt, frigidamquè expetunt, & vris se magis  
 ac antea dicunt: ἀφονία item & λεπτψυχία corripi-  
 untur, vt Theoclis affinis apud Hippocratem libr. 7. E-  
 pidem. 26. &c.

### Vires integræ, pulsus magnus.

Inter Pathognomonica Pestis signa suprà recensuit  
 I vitales Vires summè cl<sup>a</sup>quescentes, Pulsum exiguum,  
 inæ-

inæqualem , pressum , frequentem , intercidem :  
 (fortassis intermittentem scribere volebat , qui inter-  
 cidente peior est : ) ergo Vires in Peste nunquam sunt *Pulsus in pe-*  
*ste nunquam*  
*integram* ; Pulsus non magnus , non validus , non æqua-  
*naturalis*,  
*contra Galen-*  
*lis* , non ordinatus ; sed semper languens (quicquid  
 dicat Galenus ) nunc magis , nunc minus , prout Vene-  
 num vehementioris aut mitioris fuerit efficaciæ . Quò  
 autem proprius ad naturalem accedit Pulsus , eò meli-  
 or est : vires namque morbum superaturas , indicat .

### Si natura EORVM OMNI- VM quæ.

**V**T in aliis quibusdam morbis , ita etiam , ac quidem  
 sèpius in Peste Natura interdum in primo morbi  
 principio , nō omnium eorum quæ in intimis cor-  
 porum ipsi infensa sunt , hoc est , non totius morbificæ  
 materiae ( hæc enim sola , non Dyscrasia quæ naturæ  
 non minus infesta est , expelli potest ) ut Prauadoxo Di-  
 sputatori placet , sed saltem partis alicuius *metathesi*  
 molitur , & ad Cutem cum ægrorum commodo pro-  
 pellit . Quò celerius enim ocyus vèξωρεπεται τὸ νόσην  
 vt Hippocrates lic . 6. aphor . 37. hoc est , Venenum robu-  
 sta natura ab internis principibusquè sedibus ad ex-  
 ternas atque debiliores depellit atque propulsat , eò  
 periculi minus morbus habet , tutiorq; existit . Si præ-  
 fertim Febrem huiusmodi abscessus pestilentem ante-  
 cedunt : qui enim subsequuntur febrem , non adeò tuti  
 sunt , nec tantopere ægros subleuant ; nisi post humorū  
 concoctionem , tempore & modo conuenienti Criticè  
 erumpant . Quod autem in aliis etiam morbis ante cō-  
 cotionē huiusmodi abscessus interdū bonis ægrireb .

*Abscessus et-*  
*iam ante con-*  
*cotionem*  
*boni.*

contingant, Hippocrates lib. 2. prognost. 67. testatur, inquiens: Qui in crura decumbunt abscessus in Peripneumonia vehementi ac periculosa, ad salutem omnes faciunt: sed illi optimi sunt, qui fiunt quum expectoratum iam in mutatione est. Etiam si enim citra morbi concoctionem abscessus consistat in cruribus, vindicabitur tamen & hunc in modum homo à periculo à Pulmonia imminente; ut Galenus in comment. lib. c. docet. In superioribus, vbi de Crisi actum, Disputator omnes abscessus, quo cunque tempore in Peste apparentes, Criticos esse, contendit: hic verò illam tumorum & exanthematum expulsionē, quae fit in morbi principio, separat ac distinguit à Critica expulsione, post humorum concoctionem die Critico & conuenienter facta: & utramque bonam ac salubrem pronunciat. Præterea in superioribus, ut & in sequenti thesi aliquoties, Pestilens venenum à natura non immutari aut alterari, sed tantum expelli, affirmat: præsente verò thesi eidem concoctionem & immutationem tribuit. Ex quibus appetit Disputatorem sibi ubique esse similem, id est, inconstantem, & totum, quantus quantum est, ex contradictionibus conflatum.

### Si intrò se se recipientes:

**C**ommune hoc est omnibus abscessibus, nō tantum pestilentibus, ut non sine damno ac periculo intrò se recipiant. Docuit id Hippocrates exemplo Erysipelatis li. 6. aph. 25. inquiens: Erysipelas foris intrò verti, malum.

## Maculæ mirabiliter coloratæ.

**V**Arii ac diuersi in exanthematibus & maculis, ob humorum & corruptionis diuersitatem, deprehenduntur, colores: non tamen propterea maculæ mirabiliter coloratæ dici debent, etiam si nigræ, liuidæ &c. fuerint: (varios ac diuersos fortassis colores in una macula obseruauit Disputator:) nec omnes quæ tales sunt, perpetuò sunt malæ aut lethales. Etiam si enim Crito in Thaso cum pustulis nigris obiit, *Hippocr. 1. Epidem. 3. agr. 9.* in diurna tamen illa Peste, cuius sæpiissime Galenus meminit, εξαθηματα nigra omnibus conualitatis apparuere; vt idem *lib. 5. Method. Meden. cap. 12.* scribit.

## Manus &amp; lingua tremula.

**N**on sunt hæc, vt & cætera quæ sequuntur, propria seu peculiaria Pestis accidentia, sed eidē cum aliis acutis morbis communia: neq; absq; discrimine semper mala. Tremore enim interdum fatidcentem prauorum humorum copiâ ægrum, eorumquæ grauitate op. quando non pressas naturæ vires arguit; nec propterea lethalis: *lethalis* quemamodum in Pythione illo, qui ad Telluris ædem habitabat, *3. Epid. 1. agr. rot. 1.* & in chærione *Ibid. agr. 5.* videre erat. Nonnunquam verò vehementer exiccatos ostendit neruos, & ob id hominem non male, sed *lethaliter habere*, Galenus *lib. 1. pror. rhet. 14.* docet.

Tremor non  
est proprius  
Pestis.

AΦωνία  
non semper  
lethalis.

## Vox deficit.

**N**isi αφωνία cum exitialibus & perniciosis quibusdam signis appareat, quemadmodum apud Pythionem in Thaso. *Epid. 3. agrot. 3.* tunc non est funestū signum. Est namque interdum νεύλην, id est, prænuntiatio Criseos iamiam futuræ: velut apud Hippocratem lib. 7. *Epid. 25.* in Theoclis affine, cui post αφωνίαν & λαυψυχίαν sudore oborto morbus solutus est. Eiusdem generis etiam reliqua sunt accidentia, morbis acutis vbi ad exitium tendunt per quam familiaria: quemadmodum ex Epidemicis & Prognosticis Hippocratis libris cuiuis patet. Quapropter diutius hisce immorari in præsentia supersedebimus: ad postremum Disputationis caput, quod est de Curatione pergentes. De Præseruatione enim seu Præcautione (quam Galenus libr. 1. de differ. febr. c. 4. ad duos redigit scopos, primū ut corpora reddamus inepta ad patientium seu suscipiendam hanc (Luem: deinde ut præpotenti causa occurramus) Disputator nihil habet: quamvis & præstantius & multò facilius sit imminens malum arcere, eiusquè vim intercipere, quam iam præmenti perniciose auxilium quærere.

# EXERCITAT. AD THE S. XV.

*De Curatio-  
ne pestis.*

**R**Em omnium præstantissimam, utilissimamq; Medicinæ partem, nunc aggreditur Disputator: Curationem nempe, cuius gratiâ omnia haec tenus tradita sunt.

sunt. Morbi namque naturam, differentias, causas, partem affectam, effectus, signa & alia Medicus non perse, sed ut ad curationem ea omnia referat, quaerit. Verum malè fecit hīc Disputator, qui, ut in aliis æquo prolixior fuit, ita in hac & quidem postrema ac utilissima Disputationis parte est aridus nimis atque ieiunus: quapropter & nos in ea discutienda atq; examinanda, dum obscura autoris vestigia premimus, breuiores esse cogimur, Primūm, Curationis accidens, proprium Pestis esse accidens, mysticè scribit, & huius, veluti secundi cuiuspiam actus, alium fortassis tertium, actum, causis salubribus & perfici, & demonstrari tradit. Salubribus quidem causis, ad quæ & remedia & alimenta (de quibus Disputator nihil) referuntur, Curationem perfici, quando natura sola non sufficit, tam notum est, ut non nisi bardus & stupidus id negauerit. Eādem autem causis salubribus etiam Demonstrari seu Indicari, tam absurdum est, ut nemo nisi artis ignarus id affirmaret. Causæ namque salubres (nisi Vires ad eas referre voluerit, quæ sunt Indicans Vitale, non Curatorium) non sunt Indicantia, multò minus Indicationes ipsæ, sed indicata, quorum cognitio nem ex notitia Indicantium consequimur. Temecata. rē quinetiam τὸ Demonstrarē & Indicare, seu διποδίξεις & δεῖξιν καὶ ἔρδειξιν, confundit, & prouna eademquæ re ἔρδειξις non habet: contra classicorum authorum, Galeni im primis mentem, qui ἔρδειξιν, ut pōte ἐμφασιν quan dam, ita ab διποδείξῃ & λογισμῷ distinguit, ut ἔρδειξιν αὐτον λογισμός καὶ διποδείξεως fieri scribat, li. de opt. s. ad Thras. Secūdō, præsidia seu Indicata curatiua simul & vita lia,

Causæ sa-  
lubres non  
sunt Indican-  
tia seu Indicatio-

cata.

διποδίξεις &  
δεῖξιν καὶ ἔρδειξιν,  
ἔρδειξις non  
habet: contra  
classicorum  
authorum, Galeni im-

idem.

lia, confusim ex generali morbi & partis affectæ naturâ vtcunque venatur: & primùm cùm Pestis sit maligna & venenata Dyscrasia, quam natura immutare, tanquam Venenum, & aliis contemperare vel obtundere qualitatibus nequit; ideo Alexipharmacæ eidem opponit, eam corrigentia & contemperantia. Deinde, cùm Natura dyscrasiam hanc, cum omnibus humoribus pestilenti qualitate infectis, longissimè propellere & ad extima protrudere nitatur; ergo Alexipharmacæ simul Diaphoretica esse debere, decernit. Tertiò, cùm Cor sit affectum, ideo requirit præsidia, quæ Cordis robur conseruant, huicquè singulari facultate consubstantiali profunt. Cùm denique Pestis habeat Symptomata, & aliis morbis implicita sit, ideo hisce etiam occurrentum. Et sic egregiè satis officio suo perfunctus esse videri possit Disputator. Verum nos parum artis in hac Medendi Methodo deprehendimus. Ultra namque Indicationes genericas, & omnibus virtute illius principi, quod omnium lege verisimilium esse Galenus libr. 8. Method. Medend. capit. 3. scribit,

[contraria curantur contrariis,] notas, nō progreditur. Sic plebei etiam, lippi item ac tonsores clamitant, Pestem Theriacibus, Antitoxicis & Diaphoreticis esse expugnandam, virium robur conseruandum, & quicquid corpori molestum est, siue morbus id fuerit, siue causa eiusdem, aut causæ rationem habens symptomata, remouendum. Hasce Indicationes Galenus lib. 3. Method. Meden. cap. 1. & lib. 6. c. 2. non esse magnam artis partem, vt Thessalei Methodici arbitrabantur, sed solum initium & veluti carcerem, vnde mendendiratio πεγγυατειας auspicatur, scribit. Et libr. 1. ad Glas.

Generica in-  
dicationes  
parum artis  
habent.

Glaucōn. cap. 1. reprehēdit eos, qui in primis & supremis generibus stant, indicationibūs solūm quæ ab illis sumuntur, contenti. Non enim scire quid fieri oportet, id magna res est, scribit idem Galenus: sed quibus rationibūs illud efficias, id scire artificum est. Quanquam ne hoc quidem ipsum, teste eodem Galeno libr. 6. Method. Medend. cap. 2. per se satis est, si quis, quo pacto his sit vtendum, nesciat. Dictu enim facile est, inquit Galenus lib. 5. de sanit. tuend. cap. 4. Seni expedire, manè oleo vngi ac fricari: cæterū aptè hæc opera peregisse, omnino diffīcillimum est. Non in remediorum namque solūm inuentione, sed etiam inuentorū recto vsu Methodum Medendi consistere, idem lib. 6. Method. Meden. cap. 1. & 2. docet: & opportunā ac conuenienti materiae præsidiorum administratione, bonos Medicos à malis cū Hippocrate. lib. 1. vīct. acut. 12. distinguit. Præterea Pestis Alexipharmacā Indicatione non inueniuntur: siquidem Indicans non est notum intellectui, sed occultum & qualitas quædam indicibilis: & propterea eius contrarium non Indicatione, sed Observatiōne & Experiētiā, non secus ac aliorum venenorū præsidia, extra Medendi Methodum, reperiundum: ut patet ex Galeno lib. de opt. sect. ad Thrasyb. cap. 8. & libr. 12. Method. Meden. c. 5. & lib. 13. cap. 6. Usus nihilominus, qui in recta administratione præsidiorum in quanto, tempore, modo & loco consistit, ad Medendi Methodum pertinet; quem sicco hīc, quod aiunt, pede præterit Disputator. Ad hæc, Pestilentem qualitatem à Natura nullo modo immutari, falsissimum esse, in præcedentibus demonstratum est. Si natura id non potest, multo minus id poterunt remedia, quæ sine natura nihil,

Alexipharmacā Indicatione non inueniuntur. sed èpt. ex lib.

Venenum & à Natura & à Remediis immutatur.

sed opere tantum naturae operantis sunt. Tum etiam si in Peste ~~Δαφεινα~~ requiruntur remedia, & per poros Cutis euacuantia: haec tamen non Curatiua, sed Praeseruatiua sunt præsidia. Non enim Morbo seu dyscrasias venenatae & occultae haec conueniunt, quæ alteratio, non euacuantia, postulat remedia: sed vaporibus & humoribus ~~νοσησην~~ aut ~~μισθισματα~~ continentibus. Nam nec Natura ipsa Dyscrasiam, quæ solâ Alteratione tollitur, (semper contrarias qualitates illis, quæ præter naturam inualuerint, oportet opponere. Galen.lib.1.ad Glauc.cap.9.) sed vapores & humores infectos, ab interioribus partibus ad exteriore propellit: cuius conatus Diaphoreticis iuuare debet Medicus.

Quam denique ex Parte affecta venatur, Indicatio, non Curatiua sed Vitalis est, & robur eius seruari iubet, Galen.libr.4.Method. Medend.capit.7. & lib.13.capit.16. non per contraria, sed per similia seu familiaria: qualia non modò sunt ea, quæ consubstantiali facultate Cordi prosunt, ut Disputatori placet: sed & alia, quæ manifestis qualitatibus Cordis temperiem seruant, cibi, potiones, aer & similia: de quibus consulendum Galenus lib.9. Meth.Med.c.13. & lib.11.c.3.ac.5. & li.12.c.5.

### Quæ causæ salubres omnes.

**D**E Præsidiis Pestis in genere hactenus dictum: nunc eorundem Vsum subiungit, inquiens; Causæ salubres omnes, hoc est, tam eæ, quas Morbus eiusq; Causæ, quam quas Pars affecta, & varia Symptomata ac Morbi, quibus implicita est Pestis, requirunt, Coniunctim à principio morbi per eiusdem totū decursum, usque

Visque ad finem decerni, repeti ac continuari debent.  
 Quid hoc monstri est? Cunctos ne ἐν παλαιόποδι ταῦθεν,  
 ut cum Galenō loquar, lib.9. Method. Medend. c.16. & lib. 5.  
 de sanit. tuend. aut uno eodemq; remedio quatuor su-  
 pradicis scopis simul satisfacere, possibile est? Si ex  
 Theslali ludo hæc prorupissent deliramenta, æ quo a-  
 liquantulum animo ferenda essent: sed quia ex Hip-  
 pocratica prodiere Schola, non ferenda, sed omnibus  
 viribus, tanquam nocentissimum Philiatrorū toxicū,  
 extirpanda, & ad Scytha ableganda sunt. Ut Pestis  
 non vna semper est conditio, ita non vniusmodi mor-  
 bis & symptomatibus semper est comitata, nec idem  
 semper corporū status: ideo nec iisdem semper reme-  
 diis curanda; sed hæc pro diuersitate Ideæ morbi, cor-  
 porum, temperaturarū, ætatis, anni status & similium,  
 varianda. Et cum vnius præsidii operâ res procedere  
 lentiū videtur, tum hæc modò, modò illa usurpare,  
 quam vni semper adhærere, omniū ξεγνόνων Medicō-  
 rū consensu præstat: non enim, ut Celsus habet lib.3.c.1.o-  
 mnibus ægris eadē auxilia conueniunt. Sic Symptoma-  
 tum & Morborū complicatorū diuersitas, non simpli-  
 cem, sed mixtā & complicatā, interdum etiā Morbo  
 principali nonnihil aduersam curationem, postulat:  
 vbielegantis Medici vigil ac circumspecta prudentia  
 requiritur. Methodici Theslali sectatores à mīdō nī sex  
 mensium spacio Medicinā, quam Hippocrates noster  
 lib.1.apb.1. longam esse dicebat, doceri posse profite-  
 bantur. A nostro verò nouæ Medendi Methodi fæ-  
 bro, non sex mensibus, sed totidem fortè hebdo-  
 madis Studiosi eandem addiscent. Felices hu-  
 usmodi Studiosos', qui tam sagaces' adepti

Remedias in-  
dicose vario  
anda.

sunt Præceptores, multum non temporis modò, sed & sumptuum redimentes! Sed infælicissimos ægros, qui in tam immaturos quorundam Academicorum fætus incident!

## Quod ipsum cum non præstent.

**P**ropositis Scopis curationis & Præsidiis ex natura indicantium vt cunque delibatis, Materiam nunc præsidiorum aggreditur; & primùm ex horum cætu *Phlebotomia*. Phlebotomiam & Purgationem reiicit. De vtrâque paucis agemus. Et vt à Phlebotomia exordiamur, cōcedimus eam prioribus tribus scopis non satisfacere: hoc est, eam μισθωτα Pestilentialia non exhaustire, nec οὐαΦόρησιν promouere; nec dyscrasiam Pestilentē corrigere; aut Cordis robur conferuare. Non enim ab intemperie partium, aut earundem robore; non ab humoribus venenosis; sed à Plethora & motu sanguinis ad locum non conuenientem, aut eodem in partē quidem aliquam in fluxo, sed tamen remeabili, indicatur Venæsectio: prout euacuans, reuellens, aut deriuans est remedium. Verùm quin alii morbi Pestem comitantes, Febris imprimis causæ, Symptomata itē non nulla grauia ad se curationem trahentia, aut causæ aliæ Pestis curationem impedientes aut retardantes, Venæsectionem interdum requirant, nemo facile negabit; quamuis Virium aut præsens aut futurus lapsus eandem non semper admittat, sed sàpè prohibeat. Quapropter Medicum hic scitè & religiosè circumspectum esse oportet: qui præsente Plethorâ insigni, aut sanguinis ad loca non conuenientia raptu vel impe-

Quando in  
Peste ad his  
benda.

impetu, Pestis curationem impendente aut retardante,  
 & Viribus copiâ pressis potius quam dissipatis, præcipitem occasionem quamprimum arripiat, & in principio statim, si maturè ac in tempore vocatus fuerit, ex infernarum partium venis sanguinē mittat; nec Phlebotomiam, contra rationem, contra experientiā, contra omnium verè Medicorum dogmata, tantisper differat, donec Crisis præterierit, aut Pestilens dyscrasia *non post Crisis simdemum.* omnino sublata fuerit: quemadmodum Disputatori in Germanico quodam consilio, in præjudicium Collegii cuiusdam Medici, pauculis ante publicatam Disputationem diebus, prescripto placuit: in quo consilio haec leguntur: Es wil auch die Notturfft erfordern / dass bald post Crisi mit Eröffnung der Beulen / oder Entdeckung der Carbunkel die purgirende Mittel / oder auch Aderlässin welcher solcher Lässin allein höchstlich notturftig / gebraucht werden / damit nicht allein / iam sublatâ dyscrasiâ Cordis & arteriarum alle inficirte humores werden auf geführt / sondern auch der eusserlichen Schäden heylung desto geschwinder vnd besser möge von statthen gehen / dann vor solcher Zeit seyn die Aderlässinen / wie auch purgirende Mittel nicht allein schädlich / sondern sie nuzen auch diser Krankheit nicht [ea quæ morbis noxia sunt, iisdem prodesse non posse, vel baculus Diogenis nouerit: nisi forte Disputator ea etiam quæ per se noxia sunt, prodesse sibi nihilominus tamen in molentrinis suis didicit] doch wie angezeigt / sein solche Mittel post Crisi & sublatâ Cordis intemperie maligna mit gutem Nutzen anzuwenden/ beneben auch darumb / damit sein recidiua erfolge. Hæc noua Disputatoris Medendi est Methodus, quam nec Hippocrates, nec Galenus,

nec Auicenna, nec Rhasis, nec recentiores Græci aut Latini nouerunt. Id quod nemo, nisi fortè quidā per compendia-Medicus, in Hippocratis, Galeni & aliorū classicorum authorum operibus minus quam in Bohemica sylua versatus, negabit. Hippocrates certè in aphorismorū volumine, quod Svidas omnē vim ingeni humani superare scribit, longè aliā ea quae iudicantur aut iudicata sunt, curandi rationem tradit: quā postea fidelissimus eius interpres Galenus, & post hunc omnes Rationales, quiq; mentē in calcaneo nō gerunt, Medicis secuti sunt. Is Hippocrates p̄dicti voluminis li. 1. eorum quae in aph. 20. & 2. de hum. 13. de iis quae iudicantur, quaeq; iudicata sunt perfectè, præcipit, ut nullo modo moueantur, neq; nouentur, nec medicamentis purgantib. neq; aliis irritamentis, sed missa relinquantur. De iis verò, quae naturā languide mouente, aut omniō nō, aut imperfectè iudicantur, & propterea Medicā opus habet manus, quae naturae defectū suppleat, hanc nobis reliquit doctrinā li. 1. aph. 21. & com. 1. de humor. tex. 2. & com. 2. tex. 16.

Quae ducenda sunt, eò ducenda, quò maximè natura viā affectat, per loca lege naturae commoda. Reliquæ namq; morborū, vt idē li. 2. aph. 12. docet, & quae à Crisi supervent, nisi euacuentur, recidivas parere consueverunt. Hæc loca, per quae natura viam affectat, ex Signis cognoscuntur Criticis; & pro humorum diuersa conditione, ac partium affectarū naturā & situ varia sunt, iuxta Gal. com. 1. de humor. tex. 2. & com. 2. tex. 16. Intestina sc. Ventriculus, Vestrīca, Cutis, Palatum, Vterus, Nares & venæ Hæmorrhoidales, Venarum maiorum, quae pro euacuando, reuellendo & deriuando sanguine secari vel incidi solent, nullam, nec locis citatis, nec alibi fe-

Hippocratica  
eorum quae in  
aut iudican-  
tur curandi  
ratio. 1.

2

In iis que iu-  
dicantur  
Plebotomia  
nullus usus.

cit

cit mentionem: siquidem natura per eas Criticam' expulsione m nunquam tentauit, contenta Narium, Veteri ac Podicis venis: quam Medicus meritò imitari, nec venam phlebotomo incidere, cùm Hæmorrhagia narium, aut Hæmorrhoidum vel Menstruus fluxus promouendus est, debet. Impediet namque hac ratio ne naturæ motum, & humores noxios ad loca minus conuenientia, reluctantate aut conniuente natura, malis ægri rebus retrahet, & sic pro salute mortem ægro accelerabit: cùm præsertim vires ex Critico conflictu debilitatæ hanc evacuandi rationem non ferat. Quod si itaque præsentibus Indicantibus & Permittentibus Quo tempore  
in Peste Ve-  
nena secunda Vena in Peste aliquando secunda, non post Crisin, sed in principio morbi magnâ cum prouidentia id faciendum. Si autem ob venæ alicuius maioris per Phlebotomum apertioñem, Spirituum exhaustio, & Virium, quæ ut plurimum in hoc morbo, si non in principio, in progressu tamen, summoperè langueat, resolutio metuitur; tunc per malleolorum & surarum veteribus usitatam scarificationem, ad quam Ægyptii tanquam ad sacrum & diuinum auxilium in curanda Peste configuiunt, *Prosp. Alpin. de medic. Ægypt. libr. 3. cap. 7. & 9.* non minori cum utilitate, minori insuper cum periculo, licet cū molestia maiori, educi sanguis potest. Apollonius in ea vehementi Pestilentia, quæ Asiam peragrabat, in seipso (*vt refert Oribasius lib. 7. collect. Medic. capit. 20.*) huiusmodi Scarificationem felicititer expertus, alios deinceps prosperè hâc vti docuit. Quibus molesta nimis hæc scarificandi ratio videtur, ii sanguinem per Hirudines ex hæmorrhoida libus venis tutò & utiliter educere possunt.

*Scarificatio-  
nis antiquo-  
rum usus.*

*Hirudinum  
applicatio &  
usus.*

Huius

Huiusmodi namque Sanguis missio, præter id quòd fit per locum conuenientem & frequenter naturali excretioni destinatum, Spiritus non affatim exhaustit; intimas partes, in quibus solet incendium adesse & morbi fomes, euacuat; & materiam peccantem, quæ ad partes fertur superiores, & ibi sæpe diuersa ac lethalia producit Symptomata, reuellit; & sic naturam à suo molestissimo & grauissimo onere, sine vllâ manifestâ virium resolutione atque decremento, subleuat: idquè tam tutò, vt etiam languentibus, non tamen omnino prostratis viribus, in tali casu summâ cum utilitate à prudenti Medico administrari possit: commendantibus eandem H. Merediali, A. Massaria, P. Salio & aliis plurimis.

Purgatio.

**Ad Purgationem** quod attinet, hîc de legitima eius administratione & usu non agitur: nec vtrum in principio, augmento, statu aut declinatione, leuitoribus, fortibus aut violentis purgantibus, per superna aut inferna, hòc vel illo modo, purgandum, in præsentia in controversiam vocatur: sed de eo, quod quid agendum Medici appellant, sermo est: vtrum scilicet Purgatio in Peste siue perse, à Dyscrasia Pestilenti, siue per accidens, à coniuncto alio quopiâ morbo, aut morbificâ potius causâ, requiratur & indicetur. Pestis quidem, quatenus Pestis, & ex sua natura, hoc est, quatenus est morbus in intemperie, neque euacuationem, neque reuulsionem, neque deriuationem, sed alterationem per oppositam & contrariam qualitatem; causæ verò eiusdem internæ, scilicet, per inspirationem aut contactum hausta, &

Pestis perse  
Purgationem  
non indicat.

volebat

pestilentis véneni septicâ duxâma generatæ, euacuationem quidem seu eradicationem, nō tamen Purgatione, sed per  $\Delta\alpha\varphi\sigma\eta\tau\pi$ , indicant. Quòd si verò consideremus morbos alios, quibus v̄t pluri- *Ob quas cau-*  
 mūm implicita est Pestis, Febrem præsertim putridā; *sas in Peste*  
 corporum item constitutionem ac apparatum; & im- *purgandum.*  
 primis si, quod Disputatori placuit, ab interna humo-  
 rum corruptione Pestis exorta fuerit: quis tam demēs  
 ac stupidus est, qui ignoret vitiosos illos ac prauos, ve-  
 nanatâquè imbutos qualitate succos sui euacuationē,  
 quæ medicamento fit purgante, indicare ac flagitare:  
 & ita quidem flagitare, ut nisi hæc modo, loco, quan-  
 titate ac tempore conuenienti administretur, nō mo-  
 dò horum humorum præsentia antidotorum opera-  
 tio impediatur, Febris & symptomata plurima auge-  
 antur: verùm etiam abactâ & profligatâ penitus Pestilenti dyscrasiâ, ob relictam malignam Cacochymiam  
 aliis succedat morbus, qui fractis ac pessundatis priùs  
 viribus ægrum omnino iugulet: id quod industriae Me-  
 dici in Peste særissimè experiuntur, ac obseruant. Et  
 quia hæc luce meridiana clariora sunt; ideo evidentiâ  
 & veritate ipsa conuictus Disputator, in Germanico  
 suo consilio, vt ex superius allegato paragrapho pa-  
 tet, Purgationem post Crisi in Peste non ad mittit  
 modò, sed etiam commendat: & in sequente thesi  
 decimasexta Præcipitatum ac Euphorbium, vtrum-  
 que violentissimum purgans, inter Pestis alexipharmacæ, sed male, recenset.

Tales causas salubres enumerabimus:

**E**s oppositum in adiecto. Promittit se enumeratu-  
rum tales causas salubres, quæ non cuiuis veneno,  
sed Pestilenti Dyscrasiæ oppositæ, eandem corrigūt ac  
tollunt, & propterea Pestis peculiaria alexipharmacæ  
sunt: quandoquidem non aliorum quorumuis vene-  
norum, sed Pestis tantum curationem hic tradit. Mox  
tamen negat, ea quæ recenset remedia, omnia esse Pe-  
stis propria & peculiaria alexipharmacæ; sed vñū quod  
piam saltem proprium ac peculiare inter illa existere  
antitoxicum, quantumuis adhuc ignoretur. Si nō sunt  
propria ac peculiaria ea omnia quæ recenset Pestis re-  
media, cur ea Pestilenti dyscrasiæ è diametro opponit?  
Et vnde nouit Disputator, in catalogo, hoc materiæ  
præsidiorum vnum aliquod peculiare ac specificum  
reperiri Pestis alexipharmacum, cùm ingenuè profi-  
teatur, se illud ignorare? Legat, quæso, quæ hac de re  
scribit S. Simonius lib. 1. Method. curand. Pest. fol. 4. Iam ve-  
*Exstat omnino aliquod Pestis alexipharmacum,* rò dicere, inquit, nullum adhuc proprium certum vè  
auxilium esse inuentum, quod peculiari dote Pestis re-  
pugnet, & quô succurrere ars iis possit, quos Pestis in-  
vasit, hominis est, non satis in arte, multoquè minus  
in veterum lectione versati. Et paulo post: Vt iam non  
tam de remediorum penuria, vel eorum ignoratione  
conqueri debeamus (Deo sint & doctis multarum na-  
tionum hominibus, gratiæ) quām de nostra siue am-  
bitione, siue imperitia, Hæc Simonius. Noui ego qui-  
dem, quibus rationibus commoti plurimi, Pestis ale-  
xipharmacum nulli hominum notum esse, sed Deum  
id sibi soli reseruasse, contendant. Verum sciant illi,  
quod idem pari ratione de morbis aliis omnibus dici  
atque enunciari potest. Nullum namque remedium  
repe-

reperire licet, quod solum omnem Cephalalgiam, nullum quod, omnem Odontalgiam, nullum quod omnem Pleuritidem, Febrem, &c. curare potest. Talia enim si nobis darentur remedia, quæ sola sibi competentes morbos expugnarent, iam de tota Therapeuticā Methodo esset actum, nec cā in posterum opus haberemus: sed oblatō ægro, Pleuritide, verbi gratia, laborante, Medicus non amplius de revulsione, derivatione, euacuatione, expectoratione & similibus, esset sollicitus: sed vnicō illo specifico & peculiari remedio morbum oppugnaret à principio per eiusdem decursum usque ad finem.

### Sunt autem non vnius generis.

**E**X Iacobi Schegkii, cuius saliuam ubique lambit Disputator, lib. 2. de occult. medic. fac. cap. 4. Causas Pestis salubres, quæ aliâs materiæ præsidiorum vocantur, in duo genera distinguit: Primum genus eorum ponit, quæ tantum secundum naturam corpora afficiendo Pestē curant; idque vel per se, vel per accidens: Alterum genus partim secundū, partim contra naturā corpora afficiendo per accidens tantum nunquā per se, Pestem tollere scribit. Si de natura & generibus agentium in corpora humana, de viribus item & differentiis alexiteriorum ex professō agere vellemus, longius quam parest, aut Disputatoris nugae meretur, excurreret nostra oratio: quapropter prætermisſis illis, obiter saltem nonnulla libabimus. ex quibus, tanquam ex vngue Leonem, quilibet reliqua facile, cuius sint pretii, cognoscet. Et ut à primo agentium genere, quod per se Pestem curare dicitur,

Materia præ  
sidiorum ge  
nera.

cum Disputatore exordiamur, sciant Lectores, in rem difficile & ardua, in qua, ut Doctissimus R. Minderus nuper ad me scripsit, non Cathedralibus solum argumentis, sed antidotis & alexipharmacis pugnandum, magnâ ope & operâ opus esse, quoniam alia perspè docentur, quâm quæ seueris his luctis cōcordat, & plurima inter Pestis alexipharmacâ referuntur, de quorum viribus & efficacia non immerito à peritiori-

*Falsa & fal-  
lacia multa,  
quæ altan-  
tur Pestis  
præsidia.*

bus dubitatur. Quid enim, quæso, vt reliqua silentio præteream, de Allio, Mentha, Aniso, Asphodeli radice, Asafætida & similibus, inexpugnanda Peste sperare Medicus debet, qui hæc Pestilenti malignitati aduersari nec à probatis autoribus didicit, nec ipse met expertus est vnquam? Pii, prudentes solertes ac circumspæcti Medicini nihil pestilentius in Peste esse ducūt, quâm non efficacibus, aut inutilibus, vel fortè noxiis, vti remediis: & ea in fabrica humana tentare, quæ lôgâ die non sunt probata. Exitiales siquidem affectus ne leuissimum quidem errorem tolerant, vt Galenus lib. 10. Method. Meden. cap. 11. docet: & temerariæ experientiæ finis est certa mors. Menon latet, hasce, quæ in præsente thesi recensentur, præsidiorum materias à Dioscoride & aliis contra quædam venena & virulentarū bestiarum morsus, commendari: quòd autem propterea eadem omnia etiam contra Pestilens conferant venenum, nō præter rationem dubitamus. Etsi enim pestilens virus interdum aliorum quorundam venenorū naturam æmulatur; vti in superioribus annotavimus; non tamen semper cum alio quoquis veneno conuenit, sed suam propriam ideam, speciem ac naturam seruat; & propterea non genericum alexiterium, sed

um, sed specificum, non cuius veneno, sed Pestilenti peculiariter cuntrarium ac oppositum, quale Disputator propriâ & ingenuâ confessione, ignorat, requirit. Hoc dum Disputator inquirit, & eorum, quæ in præsentia recenset, in debellanda Peste experitur vires: nos interea **Crocum exrra cætum eorum**, quæ secundum naturam corpora afficiendo Pestem curare dicuntur, eliminamus: vt pote quem antiqui non nulli, & interneotericos I. Cæs. Scaliger *exerc. 33. 2.* inter venena reposuere. Copiosius namque sumptus & Ventriculo & Cerebro noxius est, & laxando vias spiritibus, vt abeant, necat Croci odore, enecari indormientes, quod fragrant illius spiritu, animales spiritus eliciti dissipentur, & tanquam lumen minus à maiore absorptum, euanscant, Theodor. Zvinger. in *Physiol. scribit:* & Amatus Lusitanus in *Dioscor. lib. 1. cap. de Croco*, testatur Apasonem quendam Pisaurensem, super duabus Croci sarcinulis dormientem, eadem nocte obiisse. Muliones quinetiam sarcinas Croci gestantes, mulos alternare coguntur, quod iugis sarcina eundem mulum odore suo debilitet. Ex hac etiam classe expungimus **Laser Cyrenaicum**, quod per *Laser Cyro excellentiam* simpliciter *om̄s Succus* appellabatur; *naicum.* quod tantum abest vt secundum naturam tantum corpora affecerit, vt *Dioscorides lib. 3. c. 78.* & *Galen. libr. 8. Simplic. ei vim acrem attribuerint, & calidissimum esse, & excrescentias amoliendi ac liquandi quandam vim habere, dixerint. Theophrastus quinetiam *libr. 6. cap. 3. de histor. planta. caulem Laserpitii*, cuius succus Laser dicitur, non pecorum modò, verum etiam hominum*

*Laser Indicum.* corpora purgare, scripsit. Eo què minus Disputator a grè feret, Laser Cyrenaicum ex hoc catalogo expungi, quòde o à Strabonis & Plinii vsque temporibus omnino caremus: & Disputator propterea dignus sit, qui in Cyrenensium agrum ipse amandetur, ibidem Laserpitii om̄e pro curanda Peste sedulò collecturus.

**Laser Indicum** Sylphii quoque seu Laserpitii succus est, Aſa ab Arabibus appellatus; qui in Syria, Armenia, Lybia, Media, colligitur; non specie, vt Disputatori placet, sed bonitate saltem & loco natali à Cyrenaico differens, odoris tè terrimi atque ingratius: vnde vulgo Aſa fætida, & Germanis Teuffelsdreck appellatur. Ob quem fortè nobis aduersissimum foetorem Matth. Syluaticus capit. 47. inter venena illud reportat: & à recentioribus in aberrationibus saltem Vteri, & paucis quibusdam muliebribus morbis usurpatur.

## EXERCITAT. AD THE S. XVI.

*Euphorbium exploditur.*

**I**n tere, quæ secundum naturam quidem corpora afficere, per accidens tamen tantum, exiccando nimirum ac digerendo, Pestem curare ait, reponit **Euphorbiū**. Nos sensu & ratione ducti, Euphorbiū secundū naturā corpora nostra afficere per negamus; & Disputatore dum hæc scripsit delirasse, constanter asserimus. Est enim Euphorbium, teste Mesue *libr. de simpl. cap. 20.* cui qui hīc non credit, in se ipso experiat, omnium lachrymarum calidissima, ignea, calida & sic-

& sicca ordine quarto, vrit, rubificat, ulcerat, & tam  
violenter [ obserua τὸ μέγεθος τῆς βίας ] agit, ut præ an-  
gustia & labore syncopen & sudorem frigidum acce-  
sat. Ventriculo enim & Iecinori causticâ suâ vi, quam  
etiam Galenus lib. 7 simplic. medic. in eo agnouit, magnâ  
infert noxam. Et Aetius tetrab. 1. sermon. 3. capit. 54.  
Euphorbium inter ea, quæ nouit, acutissimum & fer-  
uentissimum esse asserit. Hinc Dioscorides libr. 3. ca-  
pit. 8. incoleis Tmoli Mauritaniæ Euphorbium colli-  
gentes, eius eximium feroarem tantoperè expaue-  
scere scribit, vt ouillos ventres elutos arbori circumli-  
gent, & eminus caulem contis incident, quò ex plagis  
in ventres Euphorbii succus effluat; quem Mesues,  
cum annotinus est, Venenosum esse statuit. Est præte-  
rea Euphorbium purgans ( Schegkius medicamenta  
purgantia refert in catalogum eorum agentium, quæ  
partim secundum, partim contra naturam corpora  
afficiunt, libr. 2. de occult. medic. fac. capit. 4.) violentissi-  
mum; & si quandoque in Peste profuisse visum est,  
non alterando, sed purgando id præstitisse ii autho-  
res scribunt, à quibus tanquam specificum purgans in  
Peste, præter rationem commendatum fuit. Et licet  
Dioscorides atque Galenus deiectoriæ facultatis in  
historia Euphorbii non meminere: eandem tamen  
agnouit Mesues loco citato, Aetius tetrab. 1. sermon. 3. cap.  
54. Actuarius li. 5. Meth. Med. c. 8. & li. de medic. compos. & alii  
sexcenti. Violentissimè namq; experientiâ teste, pur-  
gat ac perturbat corpus: ita quidem, vt Rhafis, Sera-  
pion & Auicenna dicant, tres drachmas interficere  
trium dierum spaciò, erosis Intestinis & Ventriculo.

Quis

Quis nunc nocentissimum hoc, & causticum pariter  
ac cum violentia purgans Euphorbium inter ea, quæ  
secundum naturam corpora nostra afficiendo Pestem  
curare dicuntur, temerè reponi, æquo animo feret?  
Qui præsertim nouerit, Disputatorem in alia quadam  
Disputatione, quod vel tantillum ipsius Euphorbii,  
ut vix videntibus appareat, cras in animalis & corrum-  
pere & ipsi colliquationem inferre possit, publicè scri-  
psisse. Omnibus modis huiusmodi opinionum mon-  
stra & perniciofa deliramenta, ex Studiosorum ani-  
mis auerruncanda sunt; nec conniuendum, dum te-  
nera ipsorum ingenia, magno cum ægrorum pericu-  
lo & Artis nostræ nobilissimæ dedecore, pestilentि hu-  
iusmodi doctrinâ, quæ difficulter ex eorum iterum a-  
nimis euelli queat, imbuantur. Quo enim semel im-  
buta fuerit, seruabit odorem testa diu.

In eandem cum Euphorbio classem reponit RO-  
remmarinum, fel mellî, cælum terra miscendo. Si  
**Rosmarinus.** quodpiam ex recensitis supra remediis, in primam a-  
gentium classem reponi debet, Rosmarinus certè co-  
ronarius eâ sede dignus est. Non enim ob exiccandi  
solùm ac digerendi facultatem in Peste commendata-  
tur: sed etiam, & quidem imprimit ob insignem suam  
facultatem, quâ non Cor modò, sed & Ventriculum,  
Cerebrum & Sensus omnes confirmare ac roborare  
potest. In eum finem præter cætera paratur ex Mesue  
in officinis, & etiam à curiosis & solertibus matribus  
familias, Conserua dianthos ex flore Rorismarini, qui  
propter excellentiâ, quâ reliquos ferè superare flores  
videtur, cùm odore & sapore, tum gratia & usu, simpli-  
citer *ad* *appellatur.*

Ad

Ad alterum genus, corum scilicet remediorum,  
 quæ per accidentantum Pestem curare, & partim se-  
 cundum, partim contra naturam corpora afficere di-  
 cit, refert Theriacam & Præcipitata: quæ tum demum  
 Pestis alexipharmacæ effici scribit, cum eisdem pro-  
 pria & peculiaria Pestis medicamenta immiscentur.  
 De Mithradatis confectione & aliis similibus supra  
 dixit, eas & secundum naturam tantum corpora affi-  
 cere, & per se Pestem curare: nunc instar Vertumnii in  
 nullas non formas transmutabilis, Theriacam, quâ *Theriaca*.  
 Mithradatis antidoto nulla similior, (quin eadem v-  
 triusque vires. *Auicenna libr. 5. sum. 1. tract. 1.*) præter na-  
 turam corpora afficere, nec per se, sed per accidens  
 Pestem curare, asserere nō erubescit! Consideret quæ-  
 so utramque compositionem, notet discrimen, & per-  
 pendat, quibus (ut Galenus lib. 1. de antidot. & *Auicenn. loco*  
*citato, scribunt*) adiectis Mithradatio & quibus ademis  
 Andromachus Neronis primarius Medicus Theria-  
 cam dictam antidotum præparauerit; & demum ipse  
 met iudicet, quo iure, quamvè scitè, cum Schegkio  
*lib. 2. de occult. medic. fac. c. 4. f. 151.* Theriacam hactenus v-  
 biuis gentium magni æstimatam, *Galen. de Theriac. ad Pi-*  
*son. c. 2.* & quæ Mithradatis antidotum ob excellentiam  
 penè antiquauit. *Gal. lib. 1. de antidot. c. 1.* ex propriorum  
 Pestis alexipharmacorum numero in perpetuum re-  
 mouerit, & eidem non nisi irritationem quandam na-  
 turæ, & humorum malignorum discussionem aut per  
 sudorem expulsionem, attribuerit. Aliter senserunt  
 Mithradates Ponti Rex, primus Theriacæ, cui suum  
 proprium indidit nomen, inuentor; Romani item Im-  
 peratores potentissimi, eorundemquæ Archiatri do-

Etissimi; qui diuinam hanc antidotum, contra omnis generis venena abditâ vi atque naturâ suâ præpotentem, summo studio, non modò ex selectissimis, & vidique maximis laboribus, ac immensis sumptibus, conquisitis simplicibus præpararunt ; sed etiam eiusdem vsu continuo ab omni venenorum vi se præseruare soliti sunt Gal.lib. 1. de antidot. c. I. Totum enim corpus ita ab iniuriis securum facit, eodem Galeno lib. de Theriac. ad Pison. cap. 16. teste : vt nec à deleterio quoquam possit infici. Hinc Ægyptii, vt scribit Prosp. Alpinus de medic. Ægypt. libr. 4. capit. 8. in aliorum medicamentorum compositione negligentiores Theriacam tamen (vt pote singularem non solum contra omnis generis venena, sed etiam contra alios ex mala victus ratione obortos morbos antidotum, Galen. lib. 1. de antidot. ca. I.) iussu Turcarum Regis singulis annis præsentibus omnibus Medicis in templo urbis Cayri summa cum diligentia componunt. Apud nos quinetiam Venenorum hæc debellatrix (quæ olim; vt Ætius scribit tetrab. 4. sermon. 1. capit. 87. in Regum saltem vsus præparabatur; & Romæ, vt Galen. libr. de Theriac. ad Pamphil. tradit. communis salutis gratia pro totius ciuitatis conseruatione parata seruabatur; & à qua omnia medicamina, quæ venena abditâ & occultâ qualitate extingunt, Theriaca seu Theriacalia nominantur ) non sine solemni pompa & apparatu, nec sine Magistratus aut Medicorum consensu, approbatione & præsentia, componi ac dispensari solet. Quod non fieret, nî præter elementares manifestas qualitates, diuinius quidpiam in hac obseruasset antidoto diligens antiquitas: quod nempe non à venenis modo aliis, vt Gal.lib. 1. de an-

tidot.

idot.c.1. Auicentn.lib.3.fen.15.tract.1.ca.6. & lib.5.sum.1.tr.1.  
 Aetius tetrab.4.serm.1.ca.87. docent, sed etiam à Pestilentia  
 præseruet, vt idem Auicenna loco posterius citato scribit; &  
 Exegiōn, vitam longam, sensus vegetes, & sanitatem  
 stabile, promittat; Gal.de Theriac. ad Pamphil. Cor quin-  
 etiam, spiritum atque calorem innatum, eodem Auicen-  
 nā ibidem teste, confortet; & vires concidentes erigat, ac  
 ad naturales actiones probè obeundas fortiores red-  
 dat. Galen.de Theriac.ad Pison.capit.15. & 16. Aetius tetrab.4.  
 serm.1.cap.96. Nec præseruat modò à Pestilentia Regia  
 hæc antidotus, sed eandem etiam præsentem curat &  
 abigit. Aelianus Meccius, præstantissimus olim Medi-  
 cus, teste Galeno libr.de Theriac. ad Pamphil. Peste Italiam  
 inuadente author fuit, vt solâ Theriacâ vterentur, nam  
 cætera nihil contulerant. Ab eo non dissentit Galenus,  
 qui ibidem scribit, Theriacam venenum superare & Pe-  
 stilentiam vincere: & in li.de Ther. ad Pif.c.16. hæc legim⁹;  
 cæterum nobis etiā in Pestifera Lues sola hæc antidotus  
 malo correptis prodeſſe adeò viſa est, vt nullū aliud pſi  
 diū tanto malo resistere fuerit idoneū. Aēris namq; , vt  
 ibidē docetur, malitiā alterat, mutatq; , & corporis tē-  
 peraturam infici magis prohibet. Idē li.9. deſim. med. fac.  
 r.de Terra Sam.aduersus Pestē maximē prodeſſe Theria-  
 cā affirmauit, cæterisq; omnib. auxiliis eā anteposuit;  
 & quib⁹ in magna illa Romana Pestilētia, cuius eadē fa-  
 cies fuit atq; eius, quæ Thucydidis memoriā grāſlabā-  
 tur, aut Bolus Armena aut Theriacā nō profuit, omnes  
 interiisse, tradidit: sc. cū nec vlo alio iuuaretur. In vul-  
 gatis quidē codicib. in loco citato nulla Theriacē fit mē-  
 tio: sed locū mutilū esse, & ex Pauli Æginetæ li.2.c.36. in  
 quo ea, quæ ex Galeno recitat, ex allegato lib.9. deſimpt.

medic. fac: desumpta sunt, in integrum restituendum & corrigendum, H. Donzellinus in *disput. sua de febr. pestil.* & post ipsum Hercules Saxonia in *disput. de Theriac. vsu in febr. pestil.* recte ac prudenter monent. Solā, vti diximus. Theriacā Meccius, Galenus, Ægineta & alii, in curanda Peste vsi sunt: hæc ipsis absque additione aliorum remediorum proprium Pestis alexipharmacum fuit, & verè Theriaca, hoc est, pestilens virus per se & abdita vi delens: vtpote quæ non opus habeat, vt alia propria & peculiaria Pestis medicamenta sibi immisceantur, (vt Disputator nugatur,) cùm ea priùs in sese habeat: (quod fortassis Disputator ignorauit:) recipit namque præter alia Dictamnum, Scordium, Centaurium, Marrubium, Gentianam, Anisum, Stæchadem, Aristolochiam, Lignum alões, Pentaphyllum, Chamædrin, Chamæpytin, Terram lemniam, Cassiam, Iridem, Myrrham, Crocum; & secundum Romanos ac Bononienses Angelicam, Zedoarium, Scabiosam, Pimpinellam, Enulam & similia: quæ omnia Pestem per se, & secundum naturam tantum agendo curare, & propria Pestis alexipharmacâ esse, *thes. 15.* Disputator affirmauit. Qui propterea Theriacam Pestis alexipharmacum esse, ideo quòd talia in sese contineat remedia, si propriam tueri thesin velit, tandem conuictus vt fateatur necesse est. Nec inuitus fatetur, qui de externis Bubonum & Carbuncolorum remediis agès, Theriacā dictorum immemor Alexipharmacum Pestis nominat, malignā qualitatem obtundens ac temperans, & idcirco Topicis remediis addendum. (Ita quicquid in buccam venit, de veritate parum cogitās, infræni lingua blaterat.) Non enim manifestis elemen-tari-

taribus qualitatibus, caliditate, acrimoniam, & tenuitate (vti Disputator contendit, & ante ipsum A. Massariæ disþ. I. contra Saxoniam fol. III. placuit, qui tamen libr. 2. de Pestle contrarium statuit) quæ in tam parua mole parum de se virium fundunt, sed τῷ θεῷ & à tota specie, ut Auerroës colligit. lib. 6. cap. 17. scribit, seu ex tota substantia, Galen. lib. 6. Epid. f. 6. tex. 5. ac à natura Ætius tetrab. 4. serm. I. cap. 96. & à forma sua, Auicenna lib. 5. Canon. sum. I. tract. I. quam fermentatione & mutuâ inter se miscebiliū aetione & vnione acquisiuit, Pestil aduersatur. Illud enim, vt cum Galeno ex lib. de Theriac. ad Pison. „ cap. 10. loquar, in medicaminum misionibus fieri sci- „ endum est, quod singulorum quæ miscentur facultas „ non seruatur, sed vniō fit omnium, totâ cuiusq; tem- „ peraturā cum totis (ἢ λησταὶ ἢ λαῶν) permistâ, vna quadā „ alia facultate ex ipsis emergente. Id quod in Theriaca „ maximè conspicuum fit: vnius cuiusque enim eorum, „ quæ miscentur facultas & qualitas non amplius ma- „ net, sed omnibus cum omnibus simul temperatis & „ vniōnem quandam naturalem adeptis, vna qui- „ dem & reliqua alia ex omnibus quæ miscentur, phar- „ maci natura exoritur. Idem planè statuit etiam Au- „ cenna libr. 5. canon. sum. I. cuius verba adscribere super- „ uacaneum est. Etsi enim in Theriacæ compositione primus motus fit à causâ externâ, ab artifice scilicet, qui simplicia colligit & debito modo componit: mu- „ tua tamen eorum actio & passio causâ habet internâ, „ naturam scilicet & vires simplicium, quæ fermenta- „ tione diuturna, & actione mutua ac passione frangun- „ tur, & nouam producunt formam illis longè præstan- „

tiorem atque excellentiorem. Diuturnâ hoc fieri fermentatione dixi: quia, *vt Gal.li.1. de Element.cap. vlt. scribit.* tempore opus est, *vt eorum quæ commiscentur mutuæ particulæ inter se inuicem exactè agant & patiantur,* atque ita totum id, **vnum** & sibi vndique: ac penitus simile euadat. Exiguæ certò laudis fuerit, tantam antidotum, tanta sollicitudine, studio, laboribus, ac sumptibus præparandam, tantoperequè omnibus sæculis ab optimis quibusque Medicis contra Pestem commendatam, non nisi irritando expultricem facultatem, calorem excitando & sudorem eliciendo, prodesse: hæc quippe leuiori aliquo, minusquè sumptuoso, & facilius parabili remedio præstari possunt. Exuscitat quidem facultates nostras seu calorem innatū hæc antidotus, *Actuar.de spirit.anim.ca.17.* non tamen irritat expultricem facultatem, nec forte per se Sudorem elicit. Quomodo namque irritat Theriaca, quæ, *Galen ad Pison.capit.16. teste, Exegesis* quandam & salubrem constitutionem corporibus inducit: & *vt ibid.c.15. & ad Pamphil.legimus* propterea Galene fuit appellata, quod summam tranquillitatem corporibus conciliat; expultricem facultatem irritatā sedet ac retentricem erigat; sumpti purgantis operationem fieri minime permittat; sanguinem per sputum reiicientibus, siue dx pectore, siue ex pulmonibus eductio fiat, conferat; in omni ventris fluxu, dysenteriâ, lyenteriâ & similibus morbis conueniat? Ad Sudorem quod attinet, cùm Theriaca roboret Spiritum & calorem innatum omnium partium, *vt in præcedentibus cum Auct. cenna diximus:* ideo mirum non est, si natura adiuta & roborata expellat ea quæ corpori sunt infesta; & propter ea

*Theriaca non  
irritat expul-  
tricem.*

*non mouet  
Sudorem.*

Ptorea non Theriaca, sed Natura roborata Sudorem *sistit Sudorem*  
 extrudat. Quemadmodum contrà, vbi ob imbecillitatem & virium exsolutionem in Cardiacis, dum cor-  
 pus multis & assiduis Sudoribus diffuit, & ex vini po-  
 tu sàpè nihil optis sentit, antidotus ipsa viribus partiū  
 confirmatis, potu Sudores sistit: quemadmodum Ga-  
 lenus ad Pison. cap. 15. & Ætius tetrab. 4 ser. 1. c. 95. docent.  
 Hactenus de Theriaca.

### Præcipitata.

**O**MNIA purgantia è numero causarum salubrium Pestis in præcedentibus reiecit: nunc admittit & Mercurius recipit Mercurium præcipitatum, & inter Alexipharmacam, quæ per accidens Pestem curare dicuntur, collocat; qui tamen semper & vbiq; est purgans, & superfluitatum turbas cumulatim ac violenter, nec sine dif-  
 crimine è corpore præcipitans. Diaphoreticus præcipitatus nullus est: & qui hunc talē vocant, nominibus abutuntur: alterius namq; classis est, & ad Turpethi naturam accedit ac fortè ad Magisterium fixorū pertinet. Varii variorum in præcipitando argento viuo sunt apparatus, sed rudiores omnes: actio enim ipsa omnib: in hoc versatur, ut argente viuū minerale crudum purgatum, aquā vel liquore aliquo acri corrodāt, indeq; liquore Tartari, aqua Salis aut Igne, ex aqua specie transferāt in terreā, puluerē nempe seu calcē albām, croceā vel rubrā nondum fixā; ex qua propterea facilē reducitur & reuiuscit. Hic quādiu præcipitatus manet, intra corpus sumptus, nunquā secundum, sed semper contra naturā id afficiēdo omnia in eo turbat, & naturam quidem irritat, sed calorē innatū debilitat, & su-

& sudorem pellit, at non laudabilem, sed cardiacum:  
 & ita quidem violenter, vt inter venena non immer-  
 tò à plurimis reponatur, & à Chymiatris etiam tanquā  
 noxiū reiiciatur. Nunquam enim alexipharmacum  
 Pestis fit, quicquid addideris: nec monstrare licet v-  
 nicum ex verè-Medicis, qui eo in Peste siue ad purgā-  
 dum, siue ad venenum Pestilens debellandum vſus fu-  
 erit: circumforaneis, Pseudochymicis, & de Paracelsi  
 grege impostoribus fumo ac fune dignis id reliquerūt  
 omnes. De aliis ex Argento viuo à solertiaibus Spa-  
 gyris præparatis remedii hīc non loquimur, quia ta-  
 lia Disputatori non sunt nota: quamuis inter Chymi-  
 atros seu Medicos Chymicos cùm hīc, tum in alia qua-  
 dam Disputatione (in qua Pharmaceuticā cum Chy-  
 mia temerè confundens, cùm scientiæ Chymicæ, tum  
 medicamentorum Chymicorum naturam & vſum se  
 explicaturum in fronte promittit) natare, & vt gracu-  
 lis inter Musas versari quærat.

Quæ sequuntur in Disputatione generalia sunt,  
 nec examine digna. Victus rationem, quam ἀπαντει τῆς  
 νόσου τὴν θηριέλδων vocat Galenus lib. I. de dieb. decret. capit.  
 II. ad salubres referri causas supra diximus: de hac in  
 præsentia Disputator nihil tradidit, eamquè quam-  
 uis, vt Hippocrat. lib. I. de vict. acut. tex. 6. contra Cnidios  
 scribit, res sit magna, omisit. Nullum est tam potens  
 remedium, inquit Galenus lib. de Theriac. ad Pamphyl. quod  
 præstare eam, quam pollicetur, opem queat, si ratio-  
 ne victus aut conturbetur aut non adiuuetur. Qui e-  
 nim prorsus sine periculo sunt morbi, authore Galeno li.  
 I. de dieb. decret. c. II. ob delicta diuturni esse solent: qui  
 incolumitatem pollicentur, non tamen sine periculo-  
 sis

sis symptomatibus, ob errata lethales fiunt. Quin etiam illi, qui omni periculo vacant, multis magnisquè deinceps erroribus commissis, in lethaliū naturam incident. Nec mirum id esse putat Galenus. Ut enim ex neglecta victus ratione Sani in acutos & lethales interdum incident morbos, quemadmodum Pythio in Thaso apud Hippocratem lib. 3. Epid. s. 3. agr. 3. & Philistes libr. 3. Epid. s. 2. agr. 4. ita Ægrotantes, si in Diæta delinquunt, accelerare & periculū & mortem possunt: quod accidit Euryanactis filiæ lib. 3. Epidem. sec. 2. agr. 6. Philonis filiæ lib. 1. Epid. sec. 2. 26. Pario libr. 3. Epidem. sec. 3. agr. 1. Apollonio Ibid. agr. 13. Ægroto decimo tertio lib. 1. Epidem. & aliis. Intempestiuā namque & inconueniens ægrorum cibatio temerè à Medicis præscripta, aut nimis indulgenter concessa, ineuitabiles sæpè calamitates secum trahit, & totū naturæ ordinē peruerit: vt non immeritò multis modis ab Hippocrate celebrata sit opportuna exhibendi cibi in morbis occasio, & deleßus. Prisanā omnib. frumentaceis eduliis in morbis acutis præfert Hippocrares lib. 1. vñct. acut. 18. hanc eandem tamen intempestiuē exhibitam interficere ægrum posse, idem ibid. tex. 33. testatur. Verùm cùm Disputatori hoc Curationis membrum sicco præterire pede placuerit: ideo & nos Exercitationibus híc nostris finem imponimus: quas quo instituto suscepimus: Candidum Lectorem ex Præfatione eâ de causâ nostræ tractationi præmissâ, percepisse credo. Veruntamen ne iniuriam sibi fieri Disputator meritò conqueri, aut iij ad quorum manus eius Disputatio non peruenit, suspicari possint: ideo Theses à nobis euentilatas, Chalæographum bona fide exscribere, atque æquè ac no-

stratypis euulgare iussi. Monenti paruit ille: atque colophonis loco Disputationem Academicam subiunxit. Euolute & confer vtrumque scriptum Lector, & quod superius Terrogatum volebam, candidè arbitrare: sanitatemquè Tuam post diuinum Numen curæ sciti & periti Medici concrede: nostram denique ingenuam *ταπείνωσιαν* qua par est æquitate, pondera. Tantum huc- usque.

## FINIS.



DISPV.


**DISPV TATIO  
DE NATVRA,  
CONDITIONE, GE-  
NERATIONIS CAVSIS, SYM-  
PTOMATIBVS, AC CVRATIONIS ACCI-  
dente proprio ipsius PESTIS.**

**T H E S I S I.**

Quoniam notiora nobis sint, *Phaenomena Physica*, quæ ipsa sunt aut propria *naturæ*, aut propria accidentia: quam sunt subiecta ipsorum & cause eorundem: adeoq; ex nostra hac imbecillitate ingeniorum, non ex prioribus, naturali ordine, principiis aliis, perscrutemur ignota nobis principia: sed ex effectis, & posterioribus naturæ, cognitioni tamen nostræ prius occurrentibus, simpliciter priora venemur: & Pestis quidem symptomata, omnibus sint nota: quoniam sunt *Phaenomena*: & incurruunt in sensu omnium: de Causa autem Pestis formalí præsertim & efficiente: eiusdemque Subiecto primo, inter Authores ambigatur: idèo prius, præcipua Pestis symptomata & *Phaenomena* percensēbimus: ut ductu horum, Pestis naturam & essentiam, tanquam proprii cuiusdam accidentis hominis, cognoscere & intelligere possimus rectius.

2. Hoc autem imprimis notari debet: licet Pestis vocabulum homonymum sit & equiuocum, eoque multa significantur, in quibus tamen significatis, quoddam sit principale, seu & ev. & respectu huius, reliqua esse intelligantur, idemque nomen habeant, proindeque à pernicie pestilentis summa, perniciosa omnia vulgo appellantur Pestis: nec non Causa, Pestem inferens aer scilicet venenatus: aut Contagium pestilens aliud, itidem Pestis dicatur: & hoc eodem nomine, primaria ipsius Pestis symptomata: bubo scilicet: vel carbunculus: aut etiam macula Pestilentialis: denominantur Pestis: nihilominus tamen, Pestis vox praecipue Pestem morbum: aut etiam febrem pestilentem & malignam, significat: si que alia, hoc Pestis nomine significantur: haec ipsa, non nisi per & propter Pestem, possunt dici & appellari Pestis.

3. Pestis prouinde, propriè & praeципue ita dicta, symptomata sunt notissima, quæ vulgus, sua etiam habet communia; & quibus itidem, tanquam signis, hominem, Peste correptum esse, agnoscat facile: & eiusmodi quidem symptomata ac Phaenomena Pestis, præter alia, sunt, totius videlicet corporis lassitudo, ac veluti defatigatio: etiam citra principiorum sensus & motusnoxiam: immo, cum corporis iactatione iuncta: animus remissior, mobiliorque affectibus, solicitudine in primis ac tristitia, preter consuetudinem: extremum corpus frigidum: internum ardens: & inde succedens, totius corporis habitus in amabilis: facies horrida, aspectusque foeda, & peregrino more peruersa: pulsus exiguus, inæqualis ac pressus: sudor, niuis modo frigidus, & fætens: crebriores animi defectiones: Subitus ac repentinus solius Cordis calor, & quidem citra causam manifestam: sub hac eadem Peste, vires omnes corporis, præcipue autem vitales, & propter has reliquæ omnes elangescunt, ac concidunt: & natura, cum moueat, secretionemque eorum omnium, quæ in intimis corporum, sibi

sibi infensa sunt, moliatur, illa qā se quām longissimē propellat,  
& ad extima protrudat: ideo nunc retrō aures: nunc  
sub alis: interdum in aliis corporis partibus glandulosis, inter  
inguinā presertim, bubones erumpunt: in aliis autem  
corporis locis, exoriuntur nunc Carbunculi: & exanthema:  
nunc maculae, coloris varij, violacea scilicet, rubrae:  
non quidem citrā perniciem: quemadmodum citrā manifestam  
causam & occasionem, succrescunt illa omnia symptomata ex-  
terna: in quibus abscessibus etiam ac pustulis, tale & tantum in-  
terdum deprehenditur inquinamentum, talisqā caca ac mali-  
gnā pernicies: ut citrā omnem, humorum & conditionem, &  
qualitates eorundem, proprias & alienas, iidem illi tumores, &  
Carbunculi, eam corporis partem, quam semel occupant & ob-  
sident, deuastent omnino, depopulentur, corrumpant, eamqā to-  
tam putrefaciant, consumantqā: quibus omnibus symptomati-  
bus & Φαυομένοις, succedit plerumqā, mors subita, repentina,  
inopinata, sineqā doloris sensu. Quæ omnia symptomata Pestis  
& Φαυόμενα, etiam citra aliorum morborum omnium, cuiuscun-  
que corporis parti, accidunt hi & insint, citrā inquam Φαυό-  
μενα Δποσμεθητά, homini insint & accidentunt: Pestemqā pa-  
ribus, semper insequuntur vestigia: nec aliundē eidem, ex cor-  
poris vel constitutione: vel humorum conditione, superueniunt:  
aut ex consensu partium corporis aliarum, quo una consentit al-  
teri, accidentunt pesti.

4. Et hisce quidem Φαυομένοις presertim, est conspicua ipsa  
Pestis: ad alia quod attinet, hæc ipsa Pestis obueniunt, propter  
causas alias, & per accidens: sicuti quoqā morbis aliis, interdum  
sunt communia, talia Φαυόμενa. Iam partes omnes sunt adeun-  
da, & sub hisce symptomatis que pars laboret, inuestigandum  
altius: & perscrutandum, num talia Φαυόμενa, respectu par-

tium aliarum omnium corporis, excepto Corde, sunt ἀπομεμέ-  
θηται: an vero Cordis respectu, sunt συμβεβηκόται: hisce φα-  
ρινέοις, quod in primis Subiectum seu locus, in quo contrà natu-  
ram affectus & Pestis inest, cognoscatur. Verum, quod omnia  
haec φανόμενα & alia, non nisi Cordi affecto & male habenti,  
primariò accident obueniantq: nemo illorum, qui in Corde  
rebur vitale situs esse, nouit, nescire potest: & qui, principatum  
& vita & vegetationis, adscribi Cordi, non ignorat: quique  
propter Cordis viuificum calorem, & spiritum vitalem, quem  
in totum conuahunt corpus arteria, reliquias partes omnes ani-  
mati corporis viuere, vegetari, & nutriti, habet compertum: &  
laborante Corde, aut eodem extincto omnino, reliquias partes o-  
mnes, emori, & viuere desinere, principiis Medicis instructus a-  
liquis, intelligit: & qui preter hoc, nutricationis officium, cau-  
sam quoque affectuum, in corde esse nouit: Nam cum sub Peste,  
omnes vitales actiones, tam in Corde, quam propter Cor, in re-  
liquis quoque Corporis partibus concidant: & omnes haec, non  
tantum egrè, sed & turbatè, sua ad vitæ conseruationem præ-  
sent officia: aut in totum illa præstare desinant, & quidem per-  
se, ac citrè partium aliarum omnium φανόμενα ἀπομεμέ-  
θηται: sanè Cor ipsum, vitium aliquod contraxisse: consequens  
est: ac propter Cor, reliquias quoque partes, vegetatione quo-  
ad participant haec, à suo naturali statu, esse perturbatas, est  
necessere: præsertim vero, cum, ut diximus, ratione φανόμενων  
ἀπομεμέθητων, reliqua corporis partes omnes, sub Peste, per-  
sesalua sint & integræ. Ac licet eadem Pestis, corpus pigrum ad  
labores & progressionem reddat, huiusq: sensum obtundat: cum  
tamen, non nisi, ex defectu caloris influentis viuifici, & spiritus  
vitalis, sine quo, nulla vis sentiendi & mouendi, est in partibus  
etiam iis, que facultatem harum principatum habent, talis &  
pigi-

pigritia & obtusitas prouenant: non morbis cerebri & neruorum,  
adscribuntur tales imbecillitates.

5. Est & alius quidam, & talis, inscientia Medica, Phaivo-  
pervvus: ut quibusdam quidem, non Subiecta & loca, in qui-  
bus contraria naturam affectus, & sic etiam Pestis, insunt, cognos-  
cantur sed quibusdam aliis, causam morborum, formales ac ef-  
ficientes in primis: non nullis autem, morbi ipsi cognoscantur: ex  
quo fit, ut certorum quoq; Phaivopewv ductu, Pestem & suum su-  
mere generationis principium, ex qualitate quadam pestifera,  
maligna venenataq; non autem manifesta, sed ex primis nata  
quadam secunda qualitate ac dyscrasia: & huins eiusdem Pe-  
stis essentiam positam esse in intemperie ac dyscrasie prauitate  
venenata, illa ipsa Phaivopeva, & captantes, sequentes, & scien-  
tiae Medicæ principiorum cognitione, & Apodicæ methodo,  
instructi, ratiocinari possimus facile. Malignitatem autem  
talem, latensq; venenum, causarum generationis Pestis, pro-  
dunt in primis, hæc Pestis causarum Phaivopeva: quod scilicet  
hæc ipsa qualitas venenata pestilens, non nisi Cor inuadens, ei-  
dem dyscrasiam suam venenatam, cordisq; Crasi oppositam, in-  
ferendo, Cor non tantum afficiat summioperè, vires vitales om-  
nes prosternat: à suo naturali statu deiiciat illud: sed & quod  
proprium est venenorū, Pestis, non, ut morbi alii, sua certa  
dyscrasie quantitate, sed simpliciter sua qualitate, Cor confici-  
at, corrumpat, eiusdem Crasi destruat, hominemq; iugulet: quò  
respiciens Galenus, in Libris de Locis Affectis, vires veneno-  
rum, quantitate corporea, aut mole nequaquam estimandas  
esse, pronuntiat: propterea, quod etiam tantillum ipsius pha-  
langii ictus vestigium, existens, ut vix videntibus appareat, bre-  
uitatem temporis spatio, iugulet, interficiatq; hominem: quod  
itidem, hæc ipsa qualitas Pestis, Cor quidem immutet: il-  
la ipsa autem vicissim, à corpore non immutetur, sed tantum  
expel-

expellatur, & ad corporis partes exteriores profligetur, quam longissime: aut si hanc qualitatem Pestis, idem Cor, per habitum corporis dissipare nequit, quod sub hac eadem, mox succumbat homo, conficiatur, & inopinata ac subita morte, tollatur è medio: cum cordis obscura, inæquali, & inordinata pulsatione: cum sudore niuis modo frigido: crebrioribus animi defectionibus: cum interno calore ardente: forma faciei horrida, cum urina turbida: certis corporis abscessibus: & Phaueoꝝ aliis, cause Pestem inferenti, superuenientibus & succendentibus, malignamque qualitatem & dyscrasian venenatam redolentibus: quodque non prius tollantur, causæ Pestis efficientes & formales, quam certa quedam remedia & medicamenta, sua consubstantiali facultate hanc dyscrasian, que emendent, obtundant, aut qualitatem venenatam cum sudore expellant: singulariꝝ potentia cōsubstantiali alia, cordis & arteriarum laborantium, Crasē proprias reficiant, restituantq.: decernantur, propinentur, admoueantur: quodq. deniq. per contactum, more & modo aliorū venenorū, ita abeat in actum secundum, ipsa Pestis qualitas: ut suum subiectum aliud habile, quod præsentim respicit, & inficiat, & per affectionem & contagionem corrumpat.

6. Est autem in præsentia notandum, causam Pestis venenatam illis accenseri venenis, non que substantialibus quibusdam duœaeorū sunt prædita: & in actum secundum excent, non tamen absque habili subiecto, queq. nāl ērtelexerat sunt talia, seu duœae & non energia, & in quibus non eiusdem speciei qualitas est, qualis est in patientibus, que afficiunt: etiam si alterando corpus aliud, manifestis qualitatibus, respectu corporis patientis, illud vel refrigerare, vel calefacere, vel eiusdem Crasē propriam, occulta quadam pernicie, sed tamen, dyscrasia occulta & secunda quadam & composita, corporis tamen Crasē propria opposita, dicantur; sed illis annumerari venenis, que tan-

[tum]

tum sunt corruptela quedam rerum naturalium, nec quae pro-  
ducuntur: siue talis dyscrasia venenata, vel potius qualitas in-  
tra, siue extra corpus, generetur: cordi tamen communicetur, sui,  
certis modis, quos inferius percensebimus.

7. Non tantum proinde manifestum est et euidentis ex dicti-  
is, quod dyscrasia quadam, manifesta qualitatis, non sit causa  
vel efficiens, ut formalis, ipsius Pestis, sed et liquet hinc, quod et  
usu compertum habemus, et experientia didicimus, sequentes  
certorum morborum, et horum eorundem morborum, causarum  
Phaenomena, prater similares illos morbos, qui dyscrasias manife-  
stae alicuius qualitatis definiuntur, esse quoque alios, quos vulgus  
Medicorum si non ignorat, non tamen intelligit hos, qui sint ex  
primis, composita secunda quedam qualitas et dyscrasia, propria  
alicuius corporis partis Crasis, opposita, qua Crasis, et huic  
aduersa venenata et occulta dyscrasia, seu qualitas secunda, ex  
primis nata: ratione tantum, et non sensu vullo, percipientur: in  
quorum morborum seu dyscrasiarum malignarum et secunda-  
rum Classem, recipiuntur, Pestis, Lues Gallica, Epilepsia, Sudor  
anglicus et Morbus Ungaricus: quali dyscrasia maligna, ut cau-  
sa formali, ac differentia essentiali, non autem accidentaliter ali-  
qua alia, definiuntur huius ordinis Morbi, et per hanc differen-  
tiam essentiali presentim, ut causam, symptomata illorum  
monstrantur dicitur.

8. Cum proinde Pestis, sit proprium accidens Cordis, nec non  
venenata eiusdem et maligna dyscrasia existat, qua propriam  
cordis Crasis dissoluat ac destruat: qua ergo per affectionem et con-  
tagionem, si quod habile inuenit subiectum patiens, inactum se-  
cundum semper, et promptius quam morbi alij omnes exeat: ita  
ut ortus quidem sui ratione nonnunquam etiam sporadicus exi-  
stens morbus, populariter tamen graffetur: tota ergo peruvagetur  
Provincias: in primis autem Cor quidem immutans, Pestis au-

tem ab illo non immutetur: proindeq; dyscrasiam illam, sue impressam Cras, à se profigare nitatur Cor idem: indeque omnem talem qualitatem aliis quoq; humoribus communicat am una cùm illis ad extima, motu critico, protrudat adeoq; pro humorum diuersitate, motusq; Critici conditione varia, nunc in adenum locis, nunc in corpore alibi, emergant abscessus, pustulae, aut maculae: modò natura prius non succumbat, quām hanc excretionem, & motum, moliatur, motiones autem illae criticae, ut Φαυόμενα, in omnium incurvant oculos quilibet præterea morbus, suo subiecto & causa formaliter, aut etiam continente, si quām habet, definiatur causa: proindeque morbietiam, quoad producere possunt, alia atque alia symptomata: sicq; & absolutis & relativis definiantur differentis, more & modo rerum naturalium, actione & passione ferè omnes quid sint cum intelligantur: idē Pestem esse dyscrasiam malignam Cordis, talem, que potius, eiusdem crasin dissoluat, quām aliorum humorum temperamentum destruat, hosq; putrefaciat: quāmq; corpori colligationem inducat, ut Pestis Ungarica & Anglica: cui superuenire posst, motus critici interuentu, aliquis vel abscessus, in adenum locis, vel in corpore alibi, pustula, Carbunculus, aut macula: queq; in secundum actum per contagionem & affectionem, in habili subiecto alio, exeat semper. Verū quando alias dicitur qualitas haec venenata, Cordis calorem destruere, indeq; Cordis substantiam corrumpere, ac vim in se habere, vt possit putrefacere illam: hoc ipsum de Cordis Crasis est accipiendum: quippe quod calor, principatum habeat in primis qualitatibus: vt meritò calor & Crasis materie, pro eodem nonnunquam habeantur: sicuti quoque putredo hic non perfectam, sed inchoatam solum putredinem significat.

9. Ad Pestis differentias quod attinet, essentia sua ratione, eadem cùm existat illa, nec etiam subiectis differat, febri quantuuis

tumuis iungatur interdum : propterea quod sub Peste , nulla talis manifesta varietas symptomatum ratione subiectorum , ut sub febribus deprehendatur : ac licet propter oxygénem , aërem quodammodo veneno pestilentii existente , cùm spiritu vitali prius , nec non cum humoribus Cordis misceatur , quām Cordi communicetur : in illis tamen subsistens , potius morbifice cause antecedentis adhuc rationem habet : sicuti quoque contenta illa Cordis , quando à  $\chi$ έσιν , per sympathiam , à maligna illa dyscrasia & qualitate afficiuntur : hæc ipsa affectio , non morbus , sed symptoma tantum Pestis existit : Cordis Crasis solum quod opponatur Pestis , & quidem vita principatus illi quo ad describitur . Si proinde quibusdam ordinibus distinguitur Pestis , eiusdem certè numerantur , species : attribuuntur hæc ipsæ Pestis : tum ratione prauitatis , causa cuius , alia leuior est , alia grauior : tum corporum ratione , quibus incidit illa ; valde inuicem , & habitus & humorum ratione , corpora hæc quod differant ; indeq; Pestis hæc , non quidem propriis mædis , sed tantum accidentibus propriis , aliis atq; aliis , variet à se ipsa , siat q; ex hoc ipso , ut vel cùm febre inuadat homines , vel Pestis succedat febris symptomatica tamen solum , typi quod sit expers illa , quodq; vel à putridis humoribus nobis ingenitis generetur : vel hominem prahendens , omnis generis , quibus est differtus ille , simul intrà corpus contaminet , inficiat , suaq; putrefaciens maligna qualitate , putrefaciat .

10. Ad Pestis generationis , qua illa , quatenus fit , consideratur , causas quod attinet , illa cùm non vno generetur modo : ideo quoque aliae , atq; aliæ sunt cause , hanc , que inferunt : hinc Pestis illa intrà corpus , que suæ generationis habet principium : citrà cœli aërisq; constitutionem , communemq; causam aliam , cùm generetur : hæc à corruptelis certis humorum , nobis ingenitis , aut etiam , quatenus bi putredinem experientur , proueniat ,

est necesse. Suam autem sumunt hę corruptę & materiam, ex humoribus excrementitiis, quorum exuperantiam imputamus, vel partium naturalium & vitalium, vel alterius alicuius partis imbecillati: infelicitatis temperamenti quoad sunt: proindeque turbatae & egregi, sua ad uitę & conseruationem præstant officia: vel omnino in totum præstare deſſunt: vel ſuum ſumunt à natura eatenus motum, quatenus hi, ab eadem natura, reguntur infirmius: quām in ullo alio corpore: accedunt quin etiam, ad harum caſarum maleſicia, caſe generationis accidentes aliae, maleſicia illa qua promouent, iuuantq;: quatenus ſcil. ſubſtunt humores tales intrà corpus diutius: aut immiſcentur his, humor genitalis corruptus: fluxus menstruus deprauatus: aut ſanguis grumofus: nec talia ullis cauſis aliis temperantur: ſicuti quoq; ad corrumpendum humores, vim habent maximā, omnis generis excrementorum ſuppreſſio, obſtructio, & cohibita perſpiratio: quibus cauſis præcipuis, & aliis, quō minus, ed præ uitatis perueniant humores, vt etiam intrà corpus efficiantur venenati, nihil prohibet. Et hiſce quidem cauſis, vt Pestis: ita quoq; febris Pestilens ac maligna, ſeu dyſcrasie venenatę & parti- ceps, præſertim procreatur.

II. Si autem Pestis extrà corpus, aliundē ſua habet molimina: ſanè haec accepta fert cauſis communibus procatarecticis, vel euidentibus & manifestis: cuiusmodi ſunt, vel victus noxius, & frumentum, rubigine aut diurnitate temporis, vel coeli iniuria vitiatum, aut genus frumenti aliud, in panificia redactum, corruptum: hiſce per frugum inopiam, annonę & caritatem, veſci quando dura cogit, neceſſitas: vel etiam huius eiusdem conditionis potus, ex qua cunq; cauſa redditus pernicioſus: cum illis cauſis utriusq; præſertim, ſi conſpirant caſe aliae communes: regionis ſcil. foris, & aeris ibidem conſtitutio inſalubrior: hominumq; habitus, ad peſtem pronus qui est & proclivis, vel proca-

tarcticis quidem cansis aliis, itidem & manifestis & euidentibus, aut etiam aliis sensu non manifestis inputamus pestē: constitutioni scilicet aëris, qua aëris, infert pestem, quando vel vitiatur ille, ex putridis & venenatis cuiuscunq; generis exhalationibus, aut inquinamentis aliundē ipsi immisso: aut ipsem aliquidē putredinem malignam experitur: aut ex aquarum vitiis corruptitur: aut modo alio, ex terra, aliisq; rebus factidis & perniciiosis, inficitur: vel procat arcticis quidem, sed non sensu, verum ratione tantum, quæ percipiuntur, attribuitur causa pestis. Cuiusmodi est ea cœli, vel aëris constitutio (cœli quippe constitutio nulla ratione alia, cū nos alteret, quam qua aëre alterat, variis ipsum immutans qualitatib; mutatus a. aëre, & qualitatū ratione temperat) varie multipliciter nostra & afficit, & alterat corpora: (Cuiusmodi inquam, est ea cœli, vel aëris constitutio, quam habet hic cœlitus ex talium qualitatum primarium commixtione, quæ non nisi Crasi Cordis & arteriarum est opposita: quæ propria & vernacula Cordis Crasis, ex primis qualitatibus natæ secunda, ut sensu non percipitur: ita nec ei opposita, hæc aëri impressa qualitas secunda, ex primis nata cœlitus, manifestæ qualitatis appellationem sortitur: manifesta aliqua, qualitate quod non distinguatur: & has quidem qualitates malignas, corpus cœlestè producit, cùm natura corporis patientis, illi has inferendo & communicando: quo ad scil. corpora hæc, quæ mouet corpus cœlestè, sunt περιφύσαται, ut ab illo patientur: unde non sunt necessarii astrorum, hasce qualitates pernicioseas minantum, effectus: ut alii, à solo cœlo qui dependent, eidemq; soli insunt: quales sunt eclipses, coniunctiones, oppositiones, &c. propter duorum scil. patientium corporum & effectricum causarum cœlestium aliarum, validiorem potentiam, quod possint impediiri, priores illi effectus. Est autem in presentia, hoc non pretereundum silentio: quod Contagio, perpeccio quedam sit & affectio,

que sit contactu duorum corporum, quorum alterum agit & alterum patitur, contra naturam: que tamen corpora, non propter planitatem, ut mathematica, sed propter communicationem motus cuiusdam, unum agere dicitur, alterum verò pati: & quod tangens seu afficiens, non solum corpus sit, sed & mād. & quoddam conferat, corpori patienti: & hoc ipsum quod fiat, vel transmissione solius qualitatis pestilentis: vel vaporis: vel fuliginis: aut alterius alicuius rei corporeæ, infectæ tamen communicatione.

12. Factam porro Pestem, propria quedam mād., propriag. insequuntur accidentia, quibus etiam se se, ut signis quibusdam prodit illa: & primò quidem, que Pestis dyscrasia maligna, sunt propria: nec certi habitus corporis ratione, authumorum corporis causa, hisce succedunt, & ex magna parte, aliis quoque sunt communia morbis, vel etiam febri, Peste quae participat. Cūm proinde, qualitas pestilens Cor afficiat, Corq. hanc, non quidem immutare possit: sed tamen, prostigare à se nitatur: ideo pulsus sub Peste exiguus est, obscurus, pressus frequens, & intercidens: nunc plenior & firmior: omnes corporis vitales vires elangue- scunt summe: conspicuntur crebra animi defectiones, & quidem citrā causam manifestam: sub eādem, Cor quoq. afficit, tristitia præter consuetudinem, & sollicitudo: extremum corpus friget: internum ardet: habitus corporis, faciei præsertim horridus est & peruersus: subitus & repentinus solius Cordis calor: Sudor, ni- uis modo frigidus: mors plerung. inopinata, & sine doloris sen- su: sicuti quoque, retrò aures, sub alis, inter inguina, & in par- tibus glandulosis aliis, erumpunt bubones: in reliquo corpore, carbunculi & exanthemata, ac maculae exoriuntur: quibus o- mnibus succedunt mox, per consensum, quod & totum corpus, & certa viscera, Cordi consentiunt, totius corporis lassitudo, & ve- luti defatigatio: respiratio difficultis: ad somnum procliuitas: fa- stidium

stidium cibi: vomitus perpetuus: urina turbida, nigra, factida: aliis & foetentia & atra excernit: non enim nescitur illud, Corde elangescente, reliquas vires omnes corporis concidere.

13. Est & alia, aliorum ingens Pestis propriorum accidentium, tanquam symptomatum, multitudo, Pestis, quae succedunt: quatenus haec, non quidem prauitatis venenatae ratione, leuior est, vel grauior: sed quo ad alia atq; alia Pestis occupat corpora: vel humoribus aliis, atq; aliis differta: vel hoc vel alio habitu, quo ad participant: aut aliis morbis, ipsi Pestis complicatis, febribus praesertim, quatenus sunt prahensa illa: hosq; humores qualitas maligna, vel contaminat, putrefacit, vel ad exteriora protrudit Cor. Variant autem accidentia haec propria, & symptomata, pro ratione, & habitus corporis, & humorum, quos inficit Pestis: que omnia tanquam effectus, sui, & habitus corporis, & humorum, naturam cum redoleant: & penè omnibus grauibus morbis, febribus praesertim, sed symptomaticis, ex equo accidentia: innumeraq; sint: haec ipsa in praesentia prætermittemus: quorsum enim attinet, inter propria accidentia pestis, lingu&scabritiem, sitim validam, vigilias continuas, mentis alienationem, dolorem Capitis, totius corporis horrorem, calorem, & huius generis communia symptomata alia, inter propria inquam accidentia pestis, recensere?

14. Sunt deniq; pestis quedam accidentia propria, causarum morbificarum praesertim, motus vehementes: vel alterationes earundem salubres, aut etiam insalubres, quorum, tanquam prognosticorum signorum, nonnullis, qualia sunt crisima, pestis qui demutatio, sed non certus aliquis euentus deprehendi potest: quibusdam autem, que scilicet sunt terrena, certus aliquis euentus pestis significatur: si enim sub peste, symptomata non ingrauescunt, sed remittunt, viresq; sunt integre: bonum: se viribus validioribus, natura, eorum omniū, quæ in intimis cor-

porum, naturae infensa sunt, talem molitur secretionem: ut non tantum hæc, sed & cum hisce, qualitatem malignam, ad extima protrudat, adeoq; sudorem moueat, & in adenum locis, aut alibi in corpore, bubones vel plures, vel carbunculos plures, exanthemata & maculas, excitet, etiam à principio: bonum: si Cordis & arteriarum pulsus, Corde, sub Peste, affecto, magnus est & validus, equalisq; apparel, & ordinatus: bonum, salubris quin etiam est, sub peste vacuatio hæc, in qua signa coctionis comparent: in die decretorio quæsit: eidemq; insunt, debitæ conditiones omnes: natura q; validiore, symptomata multùm remittunt. Contrà verò, si citra manifestam vacuationem, sub Peste, pulsus est languidus, inæqualis, & pressus, eidemq; succedunt, animi cerebriores defectiones, & reliqua omnia exasperant symptomata, diuq; perseverant: malum: si intrò sese recipientes, bubes euanescent: maculae sunt mirabiliter coloratae: assidua vreyget vomitio: agro debili: malum: si pulsus formicans sentitur, ac insuper etiam, manus & lingua sunt tremula: vox deficit extrema corporis partes sunt intentæ & adstrictæ: ungues liuescunt: respiratio intercidit: succedit q; singultus: malum: Sicuti quoque extincti caloris & consectorum spiritum est nota: quando calor præternaturalis euancescit subito: & ager, sese febricitare negat: aliis it idem comparentibus grauioribus symptomatibus: agro que debili existente.

15. Verùm, cum tandem, curationis quoq; accidens propriū, accidat Pestis: huius actus, quibus causis salubribus, & perficiatur, & demonstretur: videamus. Cùm proinde Pestis, quatenus Pestis, sit maligna & venenata dyscrasia, Cordis Crasi & opposita, & aduersa, hancq; destruat, dissoluatq;: & talem quidem qualitatem natura immutare, tanquam venenum, & aliis temperare, vel obtundere, qualitatibus nequeat: adeoq; in hanc insurgat qualitatem, eamq; à Corde quam longissime propellere; & ad

Et ad extima protrudere, nitatur, cum omnibus illis humoribus,  
bac ipsa qualitate qui inficiuntur: Ideò Pestis decernuntur, quæ ut  
alexipharmacæ, banc dyscrasiam corrigit, contemperantq;:  
nec non ad extimacutis cum sudoribus & humoribus, expellunt,  
protruduntq;: it atamen, ut & alia propinentur, cordis robur  
quæ conseruant: huicq; singulari facultate consubstantiali pro-  
sunt: nec non deniq; adhibeantur: quæ respiciunt, vel symptomata-  
ta, vel morbos, quibus implicita est Pestis: quibusq; vires vita-  
les, prosternuntur: & naturæ motus impediuntur: quæ cause sa-  
lubres omnes, coniunctim præsertim: à principio statim Pestis,  
nulla interposita mora, totoq; morbi cursu, decernuntur, &  
repetuntur, tamdiu donec omnis qualitas pestilens & expellatur,  
& suistemperetur qualitatibus ac obtundatur. Quod ipsum cum  
non præsent, venæ sectio; purgatio & huius generis alia: sed ea,  
quæ eo, quo dixi, modo, adhibita, Pestem persanant: siue intrè  
corpus sumantur: siue extrinsecus, corpori imponantur; ideo tales  
causas salubres, paucis tantum enumerabimus & persequamur:  
præcertim verò cum dubium non sit: quin inter talia medicamenta  
quoddam aliquod medicamentum sit, Pestis proprium ac pe-  
culiare alexipharmacum, quod existat, quantumvis ignoretur  
ad huc. Sunt autem non unius generis, Medicamenta pesti quæ  
decernuntur: quippe cùm quedam, venenatam qualitatem præ-  
certim alterent: & tantum secundum naturam, nos affiant:  
Cor, vitalemq; spiritum roborent, putredinemq; arceant: cuius  
efficacia sunt, angelica, cedoaria, radix dictamini, doronicum  
Romanum, scordium, petasites, allium, scabiosa, Centaurium  
minus, ruta, verbenæ, morsus diabolus succisa, pimpinella ra-  
dix melissophyllum, mentha, marrubium, eryngium, cyperi ra-  
dix, gentiana, carduus benedictus, betonica coronaria, baccæ he-  
deræ, iuniperi bacca, cordex arantiorum, & mali citrei, anisi,  
& myodoratis semen, stoechas, asphodeli radix, birundinaria,

radix belenii, aristochia, bistorta, pentaphylli, chelidonii, chamedrys, chamepytis, calamintia, origanum, salvia, grana al-kermes, bolus armenius, terra lemnia, succus cyrenicus lafer In- dicum, agallochum, cassia lignea, iris Florentina, myrra, crucis Xylobalsamum, artemisia, ebura, os Cordis cervini, & huius ge-neris alia medicamenta: necno ea, in qua horum medicamento-rum substantia resoluta, cuius conditionis sunt succi olea, gene-ra salis, & alia que singulari facultate consubstantiali, & vene-ra obtundunt, corrugant, temperant, Cor, spiritumq; vitalem re-creant, putrediniq; resistunt. In horum medicamentorum clas-sem recipiuntur quoque, omnis generis composita medicamenta ex illis simplicibus qua conficiuntur: & tamen secundum natu-ram solum, nos afficiunt: cuius census sunt Confectio Liberantis: Diaxylo aloes: Diamargariti calidi: de gemmis: Electuarium le-ritificans, & huius species: mitbridatica confectio, & similia com-posita alia.

16. Ad reliqua medicamenta quib' attinet, cuiuscunq; ha-  
sint conditionis: aut etiam arte Chymica parentur: bac cum duor-  
um sint generum: nonnulla horum, secundum naturam quidem  
nos afficiunt, facultate consubstantiali: sed tamen non perse, vo-  
rum per accidens solum, moreq; modo medicamentorum diapho-  
reticorum, Pestem sanant: non scil. eiusdem qualitatem venen-  
tam corrigendo, temperando, obtundendo, & delendo: sed eam  
cum suo humore, cui inest, per exiccationem, confiendo, diger-  
ido, & consumendo, cuiusmodi sunt, Euphorbium, & pillulae alter-  
rantes ex Euphorbio composita: sulphur: aut oleum ex sulphure:  
puluis bombardicus, oleum ex calcantu, decoctum Roris marinis  
quercus & similius: quedam nos partim secundum, partim co-  
tra naturam affiendo, curant pestem: ex quo fit, ut & hec, non  
nisi per accidens, eandem pestem tollant, deleant q; quatenus scil.  
in causa sunt, ut irritando facultatem expultricem, nec non calor  
rcm

rem naturalem excitando, aut sudorem elicendo, vel insensibili transpiratione vacuando, qui in corpore sunt maligni humores, & qualitates venenatae, ad extima corporis propellantur, indeq; profligentur, quorum Classe præsertim continentur, Theriaca, & chymica quædam medicamenta: præcipitata sc. olea, & genera quædam salis: quæ tam non medicamenta omnia hactenus enumerata, efficiuntur quoq; pestis alexipharmacæ bisce eisdem pestis propria & peculiaria medicamenta, si immiscentur. Ad Topica quod attinet: emplastra, præter alia, si admoventur, emplastrum, verbi gratia, diachylon gummatum bubonibus prius non est imponendum hoc, quæam oleo prius diluatur, eidemq; dissoluto adijciantur alexipharmacæ pestis: sicuti quoq; Carbunculis, non prius admoventur unguenta, emollientia & relaxantia, unguatum, exempli gratia, Rosaceum, quæam eidem dissoluto, immiscentur, theriacæ momentum, aut aliud quid, malignam qualitatem obtundens temperans q; horum abscessuum & Carbuncularum ulceræ, quando sunt per Apostolicum unguentum præsertim, & abstersa, & qualitas illorum maligna funditus sublatæ: cum emplastris & carnem alcantibus, & cicatriuem inducentibus, emplastro griseo in primis, albo, & aliis, cum persanentur: alia prætermittimus. Sed de peste hactenus abundè satis dictum. disputatum q; reor esse.

## F I N I S.

---

Menda, amice Lector, priusquam legas, sic emenda.

) (3. fac. 2. lin. 19. fortuitò ) (:) (3. 2. l. 6. per uolat ) (:) (4. 1.  
l. 10. Georgius pag. 1. lin. 9. EXERC. p. 2. l. 5. exploratoribus p. 8.  
26. 7 l. 27. in marg. appon. Vbi locum habeat. p. 17. 20. utrisq; p.  
24. 19. in marg. Habitus corporis quid Medicis p. 31. 1. viciū l. 29.  
venenitam pernix l. 31. imbecillitas; p. 32. 30. cap. 17. & 18. p. 34. 1.  
kumo-

Bumores l. 3. Macule & Exanthemata expungantur è contextu, & ponantur  
in marg. p. 39. 23. emoriuntur, l. 27. caloris vivifici, p. 40. 14. Epid. s. 2. 7. p. 43. 7.  
potest, l. 17. causis, p. 44. 2. animalis quilibet: p. 46. I. attractione l. 26. nascit  
x & p. 47. 10. Nutricationis etiā p. 49. 12. perse sanis p. 52. l. vlt. emori. p. 53. 9.  
ferunt; p. 54. 3. data p. 56. 15. docet, p. 57. l. 5. conspicuum. p. 59. 11. Antonius p. 61. 11  
eadem p. 63. 5. communal. 20. acuta, l. 22. mori. l. vlt. opinione p. 64. in marg.  
Subitanea. l. 19. illefa, p. 65. 2. 4. propterea p. 66. 6. plerosq. l. penult. quidam p. 67  
2. 1. subiectum l. 30. fuliginis p. 69. 26. docet. p. 74. 4. Philo p. 75. 15. Disputatio-  
ne p. 81. 22. imperitos l. 23. veremur. p. 82. l. penult. pro iis p. 86. 13. & 22. part.  
p. 87. 2. 5. & 14. part. l. 15. admittit. p. 88. 21. Abscessibus, p. 89. 22. aëreum? l.  
23. ubi p. 90. 14. differentiis, l. 20. Sporadicus. p. 91. 13. theses tertiae p. 93. 12. de  
umor. tex. i. p. 97. 29. com. 24. p. 99. 21. moriebantur. l. 27. antecedentem, p.  
102. 6. Symptomatic & p. 105. 2. internam causam, p. 108. 2. menstruum l. 15. va-  
sal. 20. consultatione p. 109. 2. 4. c. I. p. 110. 3. effantes l. 17. Menstruum retentum  
l. 21. illa p. 111. 9. capiatur, l. vlt. continenter p. 116. 12. ἀναθυμίας l. 17. Pe-  
stil. 23. fit, non p. 117. 13. ut vanissimi p. 118. 6. etiam. l. 12. hic l. 13. sublunari-  
bus l. vltim. deferuntur p. 119. 2. 4. morbus, p. 121. 19. & 27. δυσπν. p. 122. 7.  
& II. δυσπν. l. 8. ἀλόγως egit. p. 123. 7. in margin. ad τερψινού. l. 18. sed  
modò pag. 125. leg. penultim. Febribus. p. 128. 26. Haec p. 129. 16. in mar-  
gin. 3. l. 20. Natura pag. 130. 5. censendum. pag. 131. 21. libr. 6. aphoris. 37.  
scribit, pagin. 132. 8. loc. ca. pag. 133. 22. Chærone pagin. 135. 16. ut l. 22. in  
margin. sed Indicata. pag. 136. 19. principii, pag. 138. 4. in margin. Διάφο-  
ρητη pag. 143. 13. secunda, ib. in margin. Venat. 18. languent, pag. 144.  
leg. I. Sanguinis p. 146. 13. catalogo hoc pag. 147. 5. Therapeutica pag. 149.  
2. contrarium l. 6. extral. 17. Agasonem pag. 151. 9. incolas pag. 158. 5. un-  
dique, l. 25. expectore, pagin. 159. 22. argentum pagin. 164. 17. agnoscit  
pag. 165. 167. 169. 171. 173. 175. 177. 179. in titul. MEDICA p.  
169. 3. suis l. 5. ex dictis pagin. 172. 6. desinunt: pagin. 172. 29.  
utrisque pag. 173. 15. primarum pag. 176.

7. bonum:







